en Tril

DE VERSIBUS IN LUCRETII CARMINE REPETITIS

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM ORDINE

ACADEMIAE WILHELMAE ARGENTINENSIS

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

CAROLUS GNEISSE

NUMBURGENSIS

ARGENTORATI

APUD CAROLUM I. TRUEBNER.

MDCCCLXXVIII.

ALMAE MATRI

PORTAE

S.

PRAEMONITA.

De versibus in Lucretii carmine repetitis, qui offendunt etiam eum, qui leviter id tangat, multi adhuc dixerunt. Atque ante Lachmannum in eos accuratius inquisivit Forbiger in dissertatione Lipsiensi a. 1824. Quem in multis errasse consentaneum est, quoniam Lachmannus primus principia criseos Lucretianae docuit. Sed in eis quoque, quae ille recte vidit, me meis argumentis confidere malle quam illius auctoritate, quicumque Lachmanni commentarium perlegerit, non mirabitur.

Lachmannus ipse et ea iterata, quae librariorum culpa in textum irrepserunt, removit et plura ab homine in Lucretii carmine satis versato, alia aliis de causis in margine adscripta esse ostendit; deinde unum prooemium quarti libri, quod ex versibus I, 926—50 repetitum est, ab »editore« carminis additum esse coniecit.

Bernaysius quod in Mus. Rhen. 5, 574 dixerat omnia iterata male in textum inserta esse, post Lachmanni editionem abiecisse videtur eis, nisi fallor, causis, quibus ille carmina imperfecta esse neque a poeta ipso edita probaverat, commotus, ut iterata quoque in eis signis, ex quibus poetam opus non absolvisse intellegitur, numeranda esse putaret. Quam sententiam et Munroius sine dubio amplectitur et Purmannus pluribus suarum Quaestionum Lucretianarum (Lauban. 1858. 1860. Cottab. 1867) locis et iam antea in libello »Neue Beiträge zur Kritik des Lucretius« inscripto (Numb. 1849) commendavit, ut vel prooemium quarti libri a poeta pro-

fectum esse existimet (quaest. Lauban. II, pg. 9 sq. cfr. annal. philol. 67, pg. 664 sq. N. B. pg. 4 sqq.). Cui Pollius adsentiri videtur (cfr. quae ad V, 128—32 adnotat Philolog. XXVI, pg. 345). Quid ego de ea re sentiam, infra proponam.

Contra Eduardus Goebel in Observationibus Lucretianis Bonnae 1854 contendit, quae nunc in carminibus iterata exstent, non minimam partem ab illo lectore philosopho Lachmanniano addita esse. Neque tamen plus quattuor locis tractavit.

Item Fridericus Neumann in dissertatione, quam de interpolationibus Lucretianis Halis 1875 edidit, partem versuum repetitorum seclusit, sed neque de omnibus egit neque certas rationes secutus est.

Postremo Aemilius Hallier (Lucretii carmina e fragmentis Empedoclis adumbrata. Ienae 1857) in iterationibus Lucretium Empedoclis in primis consuetudinem imitatum esse censuit. Quod neque ceteris neque mihi (cfr. pg. 9 sqq.) persuasit.

Ex his quae narravi apparet non esse supervacaneum hanc de iteratis versibus Lucretianis quaestionem totam repetere. Ad quam cum iam accedam, id solum restat ut Guilelmo Studemund gratias agam, qui ut omnino de studiis meis ita de hoc libello maxime meritus est. Qui quamquam a toto huius libelli consilio dissentiebat, tamen quaestionis certa ratione ac via instituendae auctor ac dux fuit.

Duo genera versuum iteratorum ab initio distinguenda sunt: alterum eorum, qui ex ipsa eius poeseos natura orti sunt, ubi leguntur, velut in epicis carminibus popularibus; alterum continet eos, qui certo consilio certaque arte a poeta iterati sunt: cuius generis omnes, quae in Horatii carminibus exstant, iterationes esse Lachmannus in Philolog. I, 166 testatur.

Iam si Lucretii carmina cum Iliade vel Odyssea comparaverimus, cum ea sola intercedat similitudo, quod eodem utraque metro composita sunt, ne iterationes quidem tales apud illum inventum iri exspectabimus, quales in Homeri carminibus occurrant, sed eas solas, quae in hexametri natura positae sint. Nam quod saepe ne apud prosae quidem orationis scriptores diligentius evitatum cernimus, ut quasdam verborum coniunctiones in deliciis habeant, id minus offendit in eis poematis, quae, si eiusdem versus continuatione composita sunt, in verbis variandis poetae magnas difficultates praebent. Accedit numerorum vis, qua, quae quis semel expressit, facile in memoria haerent, ita ut, si quando idem exprimendum sit, eodem versus loco eisdem verbis utatur. Unde etiam eae iterationes originem duxerunt, quas in Graecorum poetarum tragicorum diverbiis non paucas legimus. Itaque in Lucretii carminibus eiusmodi iterata satis multa legi non miramur. Ac praecipue initium versuum usque ad caesuram penthemimerem et clausula memoria tenentur. Ut nonnulla exempla afferam[1]), habes: *multa modis multis* I, 341. II, 654. IV, 725; *illud in his rebus* I, 80. 370. 1052. II, 308. III, 370. VI, 1056. 1230; *omnia postremo* II, 408. 456; *in cunctas undique partis* I, 1007. II, 93. 131. IV, 725; *quod inane vocamus* I,

[1]) omnes locos colligere nolui.

369. 1074; *res in quo quaeque gerantur (geruntur)* I, 482. 505. 955; *magnum per inane soluta* I, 1018. 1103; *magnum per inane vagantur* II, 105. 109; *rectum per inane feruntur* II, 217. 226; *deorsum cuncta ferantur* II, 190. 202. Eodem pertinet frequens ille versus exitus, qui verbis *funditus* et *omnis*, quod modo nominativus singularis (I, 854) modo accusativus pluralis (V, 1450) est, formatur. Neque desunt totis versibus repetitis expressae formulae: *quorum nil fieri manifestum est*, *omnia quando* I, 188. II, 707; *multa modis multis in cunctas undique partis* IV, 165. 725; *id licet hinc quamvis hebeti cognoscere corde* IV, 44. V, 882. Nec tamen dedita opera talibus iterationibus studuisse Lucretium ex uno exemplo clare demonstrari potest:

II, 176 *magnopere a vera lapsi ratione videntur* (I, 637, ubi eadem verba leguntur, dubito an insiticia sint. cfr. pg. 32).

I, 711 *magnopere a vero longe derrasse videntur*
(III, 105 *magnopere in quo mi diversi errare videntur*)
II, 229 *avius a vera longe ratione recedit*
II, 82 *avius a vera longe ratione vagaris*
I, 880 *quod tamen a vera longe ratione repulsumst*
VI, 853 *quod nimis a verast longe ratione remotum*
(VI, 767 *quod procul a vera quam sit ratione repulsum*)
II, 645 *longe sunt tamen a vera ratione repulsa.*

Quare ubicumque tales iterationes in codicibus leguntur, summa cautione agendum est, ne id, quod per se Lucretianum esse possit, in eo, ubi exstat, sententiarum conexu a poeta ipso scriptum esse putemus. Veluti in libro primo post versum 530 codices exhibent eum versum, qui non multo ante (post 428) legitur:

id quod iam supra tibi paulo ostendimus ante.

Quem post Stuerenburgii disputationem (Act. soc. phil. Lips. II, p. 428) nemo, ut opinor, in contextu retinebit neque ab ipso poeta in eum locum per errorem insertum esse demonstrabit. Idem valet de iteratione eiusdem versus in libro quarto, ubi mutatione fere nulla adhibita post versum 671 sic legitur:

id quod iam supra tibi saepe ostendimus ante.

Ubi eum non minores offensiones praebere Briegerus (Philolog.

XXXIII, 436 sqq.) sagacissime docuit, cuius verbis ego id unum addo, me iudice interpolatoris operam agnoscendam esse. Item vv. II, 478. 9

quod quoniam docui, pergam conectere rem quae
ex hoc apta fidem ducat, primordia rerum

non a Lucretio ex 522. 3 repetitos esse infra (pg. 22 sq.) probabo. Praeterea attendendum est eiusmodi formulis absolutas sententias non contineri neque poni illas posse nisi cum aliis verbis coniunctas vel ad alia relatas.

Medium quasi inter verborum et cohaerentium sententiarum iterationes locum tenent eae, quae certas notiones pluribus verbis expressas repetunt. Quae si in Lucretianis carminibus ita exstent, ut in sententiarum consequentiam bene cadant, suspicioni nullum locum esse confitebimur. Exspectes autem, si certam notionem eisdem verbis repetere voluerit, poetam ne minimas quidem mutationes eorum fecisse.

Quibus expositis vix opus est monere, si apud Lucretium totae sententiae iteratae sint, id minime cum eo comparari posse, quod Homerica carmina, sicubi eadem res iterum narranda est, eisdem verbis utuntur. Quare ubi eaedem sententiae eisdem verbis consignatae in carminibus illius occurrant, eas poetam aut mente ac consilio posuisse aut fortuita causa motum admisisse putabimus. Neque vero multos locos indagabis, quibus certum quoddam consilium poetam habuisse fingere liceat.

At Hallierus coniecit Lucretium in iterationibus Empedoclem imitatum esse. Et insunt haud pauca iterata in fragmentis Empedocleis. Sed ea ex consuetudine Empedoclis fluxisse, qua Homerum potissimum secutus sit, ut sermonem epico quodam colore tingueret, facile ex hac iteratione cognoscitur:

104[1]) *ἐκ τούτων γὰρ πάνθ᾽ ὅσα τ᾽ ἦν ὅσα τ᾽ ἔστι καὶ ἔσται,*
δένδρεά τ᾽ ἐβλάστησε καὶ ἀνέρες ἠδὲ γυναῖκες
θῆρές τ᾽ οἰωνοί τε καὶ ὑδατοθρέμμονες ἰχθῦς
καί τε θεοὶ δολιχαίωνες τιμῇσι φέριστοι.

[1]) sequor Steinii numeros.

119 ὡς δ' ὁπόταν γραφέες ἀναθήματα ποικίλλωσιν,
ἀνέρες ἀμφὶ τέχνης ὑπὸ μήτιος εὖ δεδαῶτε,
οἵτ' ἐπεὶ οὖν μάρψωσι πολύχροα φάρμακα χερσί,
ἁρμονίῃ μίξαντε τὰ μὲν πλέω, ἄλλα δ' ἐλάσσω,
ἐκ τῶν εἴδεα πᾶσιν ἀλίγκια πορσύνουσι,
δένδρεά τε κτίζοντε καὶ ἀνέρας ἠδὲ γυναῖκας
θῆράς τ' οἰωνούς τε καὶ ὑδατοθρέμμονας ἰχθῦς
καί τε θεοὺς δολιχαίωνας τιμῇσι φερίστους.

Item

3 πολλὰ δὲ δείλ' ἔμπαια, τάτ' ἀμβλύνουσι μερίμνας.
228 μύρια δειλὰ πέλονται, τάτ' ἀμβλύνουσι μερίμνας.

Similis studii in Lucretii carminibus nullum certum vestigium est Ceterae autem iterationes Empedocleae tales sunt, quales in pg. 7—9 descripsi, quae, si in Lucretii carminibus inveniantur, nisi aliae causae eis obstent, non offendant. Aut enim minores aut maiores enuntiatorum partes repetuntur, ut

218 Κύπριδος ἐν παλάμῃς.
242 Κύπριδος ἐν παλάμῃσιν.
414 θυμὸν ἀποῤῥαίσαντας. 435 θυμὸν ἀποῤῥαίσαντε.
66 καὶ ταῦτ' ἀλλάσσοντα διαμπερὲς οὐδαμὰ λήγει.
72 ἣ δὲ τάδ' ἀλλάσσοντα διαμπερὲς οὐδαμὰ λήγει.

94 ἀλλ' αὔτ' ἔστιν ταῦτα, δι' ἀλλήλων δὲ θέοντα
γίγνεται ἄλλοθεν ἄλλα διηνεκὲς, αἰὲν ὁμοῖα.
108 αὐτὰ γὰρ ἔστιν ταῦτα, δι' ἀλλήλων δὲ θέοντα
γίγνεται ἀλλοιωπά· διάπτυξις γὰρ ἀμείβει.
114 αὐτὰ γὰρ ἔστιν ταῦτα, δι' ἀλλήλων δὲ θέοντα
γίγνοντ' ἄνθρωποί τε καὶ ἄλλων ἔθνεα θνητῶν.

66 καὶ ταῦτ' ἀλλάσσοντα διαμπερὲς οὐδαμὰ λήγει,
ἄλλοτε μὲν φιλότητι συνερχόμεν' εἰς ἓν ἅπαντα,
ἄλλοτε δ' αὖ δίχ' ἕκαστα φορεύμενα νείκεος ἔχθει.

115 γίγνοντ' ἄνθρωποί τε καὶ ἄλλων ἔθνεα θνητῶν,
ἄλλοτε μὲν φιλότητι συνερχόμεν' εἰς ἕνα κόσμον,
ἄλλοτε δ' αὖ δίχ' ἕκαστα φορεύμενα νείκεος ἔχθει.
247 τοῦτον μὲν βροτέων μελέων ἀριδείκετον ὄγκον·
ἄλλοτε μὲν φιλότητι συνερχόμεν' εἰς ἓν ἅπαντα.

Unus in eis, qui supersunt, versibus carminis περὶ φύσεως exstat locus, ubi tota sententia repetita est, quae maximi momenti est in doctrina eius exponenda:

61 [1]) δίπλ' ἐρέω· τοτὲ μὲν γὰρ ἓν ηὐξήθη μόνον εἶναι
ἐκ πλεόνων, τοτὲ δ' αὖ διέφυ πλέον' ἐξ ἑνὸς εἶναι.
75 ὡς γὰρ καὶ πρὶν ἔειπα πιφαύσκων πείρατα μύθων,
δίπλ' ἐρέω· τοτὲ μὲν γὰρ ἓν ηὐξήθη μόνον εἶναι
ἐκ πλεόνων, τοτὲ δ' αὖ διέφυ πλέον' ἐξ ἑνὸς εἶναι.

---

[1]) Recte Steinius ante versum 61 πείρατα μύθων, quod Karstenius repetierat, reiecit. Neque enim sanum esset ἐρέω διπλὰ πείρατα μύθων, quoniam unum rei culmen est.

Ceterum dubito, num vv. 74—80 sic ut in Steinii ceterorumque editionibus traditi sunt, recte legantur. Nisi fallor, secludendi sunt vv. 76—77: illud ὡς καὶ πρὶν ἔειπα πιφαύσκων πείρατα μύθων pertinet ad vv. 33—39. Sic autem verba coniungenda sunt:

ὡς γὰρ καὶ πρὶν ἔειπα πιφαύσκων πείρατα μύθων·
πῦρ καὶ ὕδωρ καὶ γαῖα καὶ αἰθέρος ἤπιον ὕψος
Νεῖκός τ' οὐλόμενον δίχα τῶν, ἀτάλαντον ἁπάντῃ,
καὶ Φιλότης μετὰ τοῖσιν ἴση μῆκός τε πλάτος τε —
τὴν σὺ νόῳ δέρκευ . . . .
. . . . —
ταῦτα γὰρ ἶσά τε πάντα καὶ ἥλικα γένναν ἔασι,

ita ut versibus 81—88, in quibus de Amore agitur, insertis anacoluthon ortum sit. Probata enim ea, quae ab editoribus recepta est, lectione non apparet, quo versus

πῦρ καὶ ὕδωρ καὶ γαῖα καὶ αἰθέρος ἤπιον ὕψος

referendus sit.

Atque id, quod Empedocles dixit

60 καὶ δὶς γὰρ ὃ δὴ καλόν ἐστιν ἐνίσπειν,

ad eos tantum versus potest referri, quibus gravia placita pronuntiabantur. Sed illis exemplis minime explicatur in Lucretii carminibus prooemium quarti libri vel IV, 217—29 (= VI, 923—35) vel II, 55—61. III, 87—93 (= VI, 35—41) aliique loci, ut de eis difficultatibus taceamus, quae ex sententiarum ordine oriuntur. Utique singula iterata, quae in Lucretii libris tradita sunt, accurate perscrutanda sunt.

Restat, ut de Purmanni ceterorumque dicam opinione, casu factum esse opinantium, ut in Lucretianis carminibus iterationes legerentur: nam si quando verborum penuria pressus esset, ne nimis in eis locis haereret, easdem sententias eisdem verbis repetiisse poetam, quod in carmine recensendo emendaturus fuisset. At sunt iterationes, quae, si sint a Lucretio ipso profectae, tamen postea demum eo loco, ubi nunc inveniuntur, insertae sint. Velut IV, 1—25 additi sunt, postquam reliqua prooemii pars iam composita est (cfr. pg. 15) neque vv. I, 146—8 antea scripti esse possunt quam II, 55—61, quorum cum exitu congruunt (cfr. pg. 69 sqq.), cum tamen nihil certius sit quam prooemium et priorem quidem libri primi partem prius elaborata esse quam prooemium alterius. His igitur locis, si ab ipso poeta eae repetitiones in expoliendis carminibus factae sint, ad inopiam Lucretii propria difficilium rerum verba inveniendi refugere non licet. Omnino vero, ut carminum conexum emendaret, iterationibus eum usum esse negandum est. Praeterea plurium argumenta tantopere ab eis locis, ubi repetitae sunt, abhorrent, ut nullo modo intellegatur, qua de causa tantas difficultates sibi pepererit, cum eas sententias novis verbis male exprimendas arriperet, velut IV, 216—29 (cfr. pg. 73).

Nulla igitur harum explicationum, quae ad poetam auctorem spectant, ita comparata est, ut omnes iterationes comprehendat. Ipse meliorem reperire non potui neque reperiri posse puto; quare, cum ab alia ratione progressus eas explicare conabor, temeritate trahi non videbor.

Existimo enim a Lucretio ipso paucas iterationes factas

esse: ac certo quidem eas, quae illis rationibus continentur, quas in pg. 7—9 significavi. Ceterarum videntur mihi

aliae redire ad librarios: de quibus nobis agendum non est, quippe quae iam a Lachmanno perspectae ac seclusae sint;

aliae ad lectorem philosophum, ut satis notam Lachmanni significationem usurpem;

aliae ad editorem carminum, qui ea, cum pluribus locis parum coniuncta esse videret, his vel illis versibus insertis emendanda esse censebat;

aliae ad grammaticum aliquem, qui carmina modo suis modo poetae ipsius versibus amplificare et corrigere sibi videbatur.

I.

Eorum falso iteratorum, quae l e c t o r i p h i l o s o p h o debemus, consilium cum paene omnibus locis indicari possit, nemo ea retinebit, praesertim cum ne auctor quidem studuerit, ut sua additamenta ipsius poetae esse viderentur. Aut enim a conexu sententiarum eius loci, ubi addita sunt, plane abhorrent, aut verborum constructioni repugnant, ut soli casui tribuendum sit, si ea, quae ille margini adscripserat, in textum detrusa ei loco ex omnibus partibus conveniant. Ut igitur ea enumerem,

I, 44—49 (= II, 646—51)

addita sunt ab illo, »ut ostenderet Lucretium sibi adversari, qui cum deos mortalia non curare affirmet, Venerem tamen invocet«.

V, 1344—46 (1345 = 528)

de quibus Lachmannus haec dicit: »apparet haec Lucretium non scripsisse, sed istum lectorem, a quo poetam, ubi incredibilia tradere videretur, versibus interpositis derisum intelleximus in libro III, 412. 743«, in quibus tamen non iterata sunt.

III, 806—18 (= V, 351—63)

Idem adnotat: »haec omnia a Lucretio hic scripta non esse manifestum est, sed a lectore philosopho, qui hoc quoque argumento exalio loco desumpto rem commode illustrari posse

existimaret. hic tamen cum ceteros versus, quibus de caelo ageretur, non tam facile ad animum transferri posse intellegeret, a coepto transcribendi labore mox destitit«.

IV, 102. 3 (= 65. 6)

V, 1388. 9 (= 1454. 5)

Hos quoque iam Lachmannus ex textu removit.

Duo restant loci, qui ad operam lectoris philosophi illustrandam summi momenti sint, cum inde clarissime appareat eum interpolandis versibus non studuisse. In libro altero legimus post versum 1018

sic ipsis in rebus item iam materiai
intervalla vias conexus pondera plagas[1]
concursus motus ordo positura figurae
cum permutantur, mutari res quoque debent.

1020 = 726.

Versus igitur 1020 in hunc locum transcriptus est ea mutatione, qua opus erat, si interpolaretur, non adhibita, quae quam facilis fuerit, elucet.

Accedit ille locus, quem Briegerus adhuc solus ad lectoris philosophi operam rettulit (Philolog. XXIV, 449):

II, 529—31

Versibus ostendam corpuscula materiai
ex infinito summam rerum usque tenere,
undique protelo plagarum continuato.

quos ex libro primo iteratos esse puto, unde nescio quo casu depulsi sunt. Quod infra (pg. 24 sq.) probabo. Nunc hoc tantum moneo: si interpolandi studio ille adductus esset, ut eos versus huc transcriberet, facili negotio eam mutationem fecisset, quam Munroius cum eos in hoc contextu retinere frustra conaretur proposuit, ut *ostendens* pro *ostendam* scriberet. Contra ille quidem, cum nihil in animo haberet, nisi ut eum locum significaret, ad quem verba *id quod non esse probavi* (528) spectarent, ne littera quidem mutata versus citavit.

Ex his exemplis id certe effectum videtur esse, ubicumque iterationes exstent, in quibus Lucretiana verba interpolandi

---

[1]) codd. *plagaes* pro *plagas*.

causa aliqua ratione mutata sint, de lectore illo philosopho auctore cogitari non posse. Et habemus unum locum, ubi »interpolatorem« et »lectorem« una cognoscere possimus, ita quidem, ut hic illius interpolationi unum versum adderet. Qua de re accuratius infra agam, ubi de versibus II, 1013—22 iudicium faciendum erit (pg. 48 sqq.).

II.

De eis iterationibus, quae ab editore carminum factae sunt, expondituro initium capiendum est a loco viris doctis in crisi Lucretianorum carminum versatis notissimo. In quarti enim libri prooemio versibus 1 — 25 repetuntur libri primi versus 924—50, nisi quod 949. 50

dum perspicis omnem
naturam rerum, qua constet compta figura

ibi ita mutati sunt:

dum percipis omnem
naturam rerum ac persentis utilitatem.

Ac recte monuit Lachmannus ex ea mutatione elucere versus eos, qui in quarto libro sequuntur in codicibus

atque animi quoniam docui natura quid esset
et quibus e rebus cum corpore compta vigeret,

prius scriptos esse exordio. Nam cum haec mutatio nullo alio consilio facta esse videatur, quam ne verbum *compta* in exitu duorum ac paene se excipientium versuum legeretur, si primum poeta prooemium scripsisset in eoque versus I, 926—50 repetiisset, cur ultimum horum versuum mutaverit, intellegi nequit, quoniam argumentum eius etiam quarto libro conveniebat: immo secundum illud *compta* omisisset. Huc accedit, quod versus 26 — 41 artissime cum eis, quae antea de anima disputaverat, conexuit (*nunc agere incipiam tibi, quod vementer ad has res Attinet*; atque etiam 37 — 41 ad exordium tertii libri pertinent); in quinti vero libri prooemio ea, quae in libro tertio et quarto continentur, ut inter se coniuncta commemorat poeta:

59 *quo genere in primis animi natura reperta est*
nativo primum consistere corpore creta
nec posse incolumis magnum durare per aevom,
sed simulacra solere in somnis fallere mentem,
cernere cum videamur eum, quem vita reliquit.

Itaque mihi verisimile videtur Lucretium, cum initium disputationis de simulacris faceret, omnino prooemium ei praemittere noluisse. Scilicet id eum postea in opere suo recensendo facturum fuisse, praesertim cum res in tractando auctae ipsi esse viderentur, concedam. Versibus vero I, 926—50 eum tum usurum fuisse cum Lachmanno vehementer nego. Id igitur prooemium, quod nunc in codicibus exstat, a poeta non est additum.

Iam vero quaerentibus nobis, a quo profectum sit, ad alteram iterationem, quae in initio quarti libri codicibus traditur, respiciendum est. Legimus enim inde a versu 42 haec:

Dico igitur rerum effigias tenuisque figuras
mittier ab rebus, summo de corpore rerum[1].
id licet hinc quamvis hebeti cognoscere corde.
sed quoniam docui, cunctarum exordia rerum
qualia sint et quam variis distantia formis
sponte sua volitent aeterno percita motu
quove modo possint res ex his quaeque creari,
nunc agere incipiam tibi, quod vementer ad has res
attinet, esse ea, quae rerum simulacra vocamus,
quae quasi membranae vel cortex nominitandast,
quod speciem ac formam similem gerit eius imago,
cuiuscumque cluet de corpore fusa vagari.
principio quoniam mittunt in rebus apertis *e. q. s.*

45—48 = III, 31—34 (31 *et*)
49—50 = IV, 29—30.

Versus inde a 45 usque ad 53 eo quo leguntur loco ferri non posse apparet. Neque enim 51—53 perfectum enuntia-

[1]) id, quod codices habent *summo de cortice eorum* librariorum culpae videtur deberi. Nam si interpolatum esset, certe legeremus *earum*.

tum efficiunt (cfr. quae de eis infra disputavi), et, ut 54 ad 44 adiungatur, sensu flagitatur. Deinde verba

sed quoniam docui cunctarum exordia rerum etc.

ab eo, qui ea ex tertio libro repetiit, non possunt nisi aut ante 26 posita esse aut ad 26—28 adscripta. Neque tamen a poeta ipso repetita sunt, id quod demonstravit Susemihlius (Philol. XXIX, 419, 3), neque ab eo, qui prooemium praefixit, quippe a quo versus 25 eo tantum consilio mutatus sit, ne bis in tribus versibus *compta* legeretur. Neque verisimile est lectorem illum philosophum ea addidisse, cum non eadem sententia eis exprimatur atque versibus

atque animi quoniam docui natura quid esset
et quibus e rebus cum corpore compta vigeret
quove modo distracta rediret in ordia prima.

Si vero eius intererat demonstrare, eadem fere ratione huius libri initium facere poetam atque tertii, certo (id quod iam monuit idem Susemihlius) non mutasset illud *et quoniam docui*, quod illic est, in *sed quoniam docui.* Itaque si non certum, at veri simillimum est ad interpolatorem illa referenda esse. Atque si hoc ponimus, clarum est, cur illud *et quoniam docui* mutatum sit, cum minus elegans videretur

et quoniam docui cunctarum exordia rerum
. . . .
atque animi quoniam docui natura quid esset
et quibus e rebus cum corpore compta vigeret.

Reliquum est, ut de versibus

quae quasi membranae vel cortex nominitandast,
quod speciem ac formam similem gerit eius imago,
cuiuscumque cluet de corpore fusa vagari

agamus. Qui neque per se possunt enuntiationem relativam efficere, cum fieri nequeat, ut ad *quae* praedicati loco *nominitandast* referatur, nec simulacra *quasi* membranae possint *nominitari*; neque sumi potest eos a poeta post illos

31 *quae quasi membranae, summo de corpore rerum*
dereptae, volitant ultroque citroque per auras

positos esse, quoniam definitionem simulacrorum continent, quae iam versu 31 data erat. Quare nihil restare videtur nisi ut

duce Briegero (Philolog. XXIX, 417 sqq.) eos versus ex altera recensione ab ipso poeta facta ortos putemus. Atqui si consideramus, utra recensio prior fuerit, dubium non est, quin 51—53 posteriore tempore scripti sint quam 31. Nam et pleniorem definitionem praebent et illud *dereptae* in versu 32, qui, si versus 51—53 a poeta compositos ducimus, ad eos quoque pertinebat, satis, nisi fallor, docet, ab initio versum

quae quasi membranae summo de corpore rerum

scriptum fuisse. An vero censes fieri potuisse, ut poeta postea illam definitionem mallet, imaginem rei corticem potius nominitandam esse? Nimirum addidisset, si in ipsa quaestione de simulacris instituta invenisset, corticis exemplo bene illustrari simulacra. Sed si res ita se haberet, nonne exspectares in ipsa simulacrorum doctrina tractanda eum hoc exemplo usum esse? Atque quod gravissimum est, illud corticis exemplum num adeo rei accommodatum est, ut poetam facere non potuisse, quin id ultima manu insereret, iudicemus? Nam cum poeta sic inciperet: *quae quasi membranae,* id potissimum studuit, ut tenuitatis simulacrorum exemplum quaereret, eaque de causa primum adiecerat *summo de corpore.* At cortex neque tam tenuis est, ut aptiorem sensum exhibeat quam membranae, neque, quod mihi multum valere videtur, eandem speciem formamque gerit quam robur ipsum, quod tegit: id vero proprium est simulacrorum, ut, quamvis tenuia sint, tamen eandem semper speciem prae se ferant quam eae res, unde exeunt. Ergo non poeta eos scripsit, sed idem ille interpolator.

Adscripsit igitur, ut omnia comprehendam, homo nescioquis ad versus 26—28 illa verba ex tertio libro repetita, ut in textum reciperentur, mutata particula *et* in *sed*, quoniam ipsi parum concinnum videbatur, duas enuntiationes secundarias a copulativis particulis exordiri, cum praesertim in versus fronte starent, et ad versum 30 illos tres, quos ipse fabricatus erat, ut poetae verba suis, quae sibi aptiora viderentur, depelleret. Sed is, qui codicem huius interpolatoris transcripsit, retinuit traditam scripturam, addidit tamen eas adnotationes, cum quibus versus 29. 30 coniunxit, sine quibus nulla inter se coniunctione positae videbantur, sub paginae finem,

ut conicere licet, quamquam de ea re nihil certi assequi possumus.

Sed haec sint satis de hoc loco difficillimo. Quae si recte disputata sunt, habemus duos homines, qui de industria in carmina Lucretiana interpolationes inseruerunt, quorum prior fuit is, qui prooemium quarto libro praefixit. Atque utinam alii quoque loci essent, ubi eadem confidentia operam eorum discernere possemus, ut, quibus rebus in Lucretii carminibus recensendis inter se differrent, clarius videremus. Alterius quidem, qui versus 45—48 et 51—53 interpolare voluit, summa impudentia vel ex hoc uno loco perspicitur, neque miremur, si alia quoque stulti huius viri vestigia deprehendamus. Illius vero consilium ut in hoc prooemio addendo manifestum est, ita semper dubium erit, num etiam aliarum iterationum in Lucretii carminibus auctor fuerit.

Sed facile sane cum hoc loco duos comparabimus ex prooemiis secundi et tertii libri promendos. Quorum utriusque in fine hi versus leguntur:

nam veluti pueri trepidant atque omnia caecis
in tenebris metuunt, sic nos in luce timemus
interdum, nilo quae sunt metuenda magis quam
quae pueri in tenebris pavitant finguntque futura.
hunc igitur terrorem animi tenebrasque necessest
non radii solis neque lucida tela diei
discutiant, sed naturae species ratioque.

Sed utroque loco habent quo offendant.

Atque in secundi libri prooemio, cum de rerum vanitate loquatur et de curis sequacibus, quae neque sonitus armorum nec fera tela metuant audacterque inter reges versentur nec fulgorem ab auro revereantur nec clarum vestis splendorem purpureae, iam

53 *quid dubitas,* inquit, *quin omnis sit haec rationis potestas,*
omnis cum in tenebris praesertim vita laboret?

tum sequuntur in codicibus illi versus. Toti igitur sumus caligine oppressi, quam mens tantum ac ratio tollere possunt. Ad quam sententiam illi versus nullo modo possunt adiungi. Cum enim particula *nam* inducantur, exspectes

confirmationem eis contineri. At cum interdum timeamus, quae omnino non timenda sunt, sequitur potius id inde, quod nostra vita omnis in tenebris laborat. Ut autem sententiae inter se non possunt coniungi, ita singula verba offensionem praebent. Ac primum quidem displicet, quod in tribus ac paene se excipientibus versibus illud *in tenebris* diversa significatione repetitum est. In versu enim 54 metaphorice dictum est: deinde propria notione *(im Dunkel der Nacht)*. Praeterea si sic colligimus: *omnis cum vita in tenebris laboret; nam veluti pueri . . . sic nos in luce timemus interdum . . .*, omnis vita et interdum timemus non recte inter se opponuntur.

In tertii vero libri prooemio non minus male illos versus adiectos esse ex eisdem verbis *interdum timemus* cognoscitur. Exponit enim poeta de metu mortis: hunc vexare pudorem, hunc vincula amicitiae rumpere et in summa pietatem evertere clade: *nam iam saepe homines patriam carosque parentis*
prodiderunt, vitare Acherusia templa petentes.

Pergunt igitur libri sic:

nam veluti . . .
. . . . sic nos in luce timemus
interdum, nilo quae sunt metuenda magis quam e. q. s.

Sed *interdum*, quod ad curas hominum in universum pertinet, ab hoc sententiarum conexu alienum est, quoniam in hoc prooemio toto de certo mortis metu sermo fit,

funditus humanam qui vitam turbat ab imo,
omnia suffundens mortis nigrore, neque ullam
esse voluptatem liquidam puramque relinquit,

quo homines non interdum tantum, sed semper omnibusque in rebus anguntur[1]).

Accedit quod eidem versus in fine prooemii sexti libri exstant, ubi egregium sensum praebent. Quapropter non dubito, quin et in secundo et in tertio libro non a Lucretio ipso iterati sint. Eum autem, qui secundi et tertii libri prooemia ita emendare studuit, ut ea aliquot versibus Lucretianis au-

[1]) idem sentit Goebelius observat. pg. 28.

geret, si contendo eundem fuisse atque eum, qui quarti libri prooemium totum ex versibus I, 926—50 iteratis paraverit, in hac sententia aliquid probabilitatis inesse spero.

Sed quem talem carminibus emendandis operam dedisse verisimilius videtur quam eum, qui Lucretio mortuo eas, quas ille scidas reliquerat, edidit? Nam id post Lachmannum ne ei quidem in dubium vocabunt, qui Hieronymi illi loco minus confidunt, carmina non ab ipso poeta edita esse, idque vel ex libro primo, quem Lachmannus absolutum fere a poeta relictum esse putavit, cerni Stuerenburgius in egregia, quam iam supra laudavi, dissertatione ostendit. Quod quoniam certum est, ex ipsis autem carminibus intellegitur, has vel illas partes nunc eis locis legi, in quorum contextu eas a poeta ipso scriptas vel positas esse nullo modo concedi potest, deinde cum traditum sit, certum quendam hominem post Lucretii mortem carmina eius emendasse, cur non statuamus, eum non modo in ordinandis ac digerendis eis, quae ab illo relicta essent, versatum esse, sed etiam, ut carmina legentibus acceptiora redderet, pauca ad sententiarum cohaerentiam adiuvandam addidisse interdumve etiam mutasse poetae verba? Facillima autem ratione, si quid in scidis Lucretii manuscriptis ita deerat, ut sententiarum consequentia impeditior esset, ut lacunam tolleret, iterationibus uti videtur potuisse, quibus poetae verba minime contaminaret. Sic igitur, cum prooemia, quae secundo et tertio libro praemissa inveniebat, cum ipsa disputatione, quae in his libris habetur, non satis coniuncta viderentur, adiecit eis illos versus, quibus in sexto libro aptissime transitus fit a prooemio ad ea, quae poeta sibi proponit tractanda: fugit tamen istum, non prorsus illos cum eis locis, in quibus repetiit, consentire. Eodemque studio ductus, quod omnes ceteros libros prooemiis ornatos videbat neque dubium esse poterat, quin poeta, si a fato ei potestas data esset, etiam quarto prooemium praemissurus fuisset, ne nimis rude opus, quod editurus erat, appareret, ille vir doctus, quisquis fuit, versus I, 926—50 repetiit ante eam carminis partem, qua de simulacris agitur. Atque quoniam versibus

dum perspicis omnem
naturam rerum, qua constet compta figura
et *atque animi quoniam docui natura quid esset*
et quibus e rebus cum corpore compta vigeret

se excipientibus admodum dura exstitisset repetitio verbi *compta*, illis leviter mutatis poetae elegantiae satis facere sibi visus est.

Cum igitur et Lucretianos versus repeteret et, ubi opus esse videbatur, ex suo ingenio pauca adderet, emendavit editor carminum contextum. —

Ad eandem eius operam, nisi fallor, haec tria iterata referenda sunt, de quibus nunc agam. Quorum duo, cum inter se sint simillima, non dubito uni et eidem auctori adsignare.

Legimus enim in libro secundo post versum 477

quod quoniam docui, pergam conectere rem quae
ex hoc apta fidem ducat, primordia rerum
finita variare figurarum ratione.

et paulo post

522 *quod quoniam docui, pergam conectere rem quae*
ex hoc apta fidem ducat, primordia rerum,
inter se simili quae sunt perfecta figura,
infinita cluere.

Plerique, qui artem criticam in Lucretii carminibus exercuerunt, offenderunt in versibus

quod quoniam docui, pergam conectere rem quae
ex hoc apta fidem ducat, primordia rerum

ac paene omnes consenserunt, quod mihi quoque probatur, Lucretium eos tam brevi intervallo repetere non potuisse. Nemo tamen animum advertisse videtur contineri eis non plane usitatam transitionis formulam, quae non in omnes, ubi ad novum aliquid transeatur, locos conveniat. Perrecturus igitur est poeta rem conectere, quae ex hoc, quod modo docuit, apta fidem ducat. Quod nihil significat nisi eam rem, ad quam poeta nunc aggrediatur, artissimo conexu

coniungi cum eo, quod modo tractaverit (ex hoc aptam) et ex hoc ipso probari (fidem ducere). Iam ut versus 522—8 accuratius contemplemur, antea demonstratum erat, »primordia rerum finita variare figurarum ratione«: nunc demonstrandum est primordia rerum

524 *inter se simili quae sunt perfecta figura,*
infinita cluere.

Idque fit:

525 *etenim distantia cum sit*
formarum finita, necessest quae similes sint
esse infinitas.

Hoc igitur ita tantum probatur (fidem ducit), ut illud rectum esse sumatur (ex hoc aptum).

Nunc ad versus 478. 9 accedamus. Inde a versu 480 usque ad 521 hoc demonstrare vult poeta: primordia rerum finita variare figurarum ratione; argumentum autem ex contrario conficitur: nam nisi primordia finitis formis distantia essent, quaedam immani maximitate esse debere: quod probari non posse iam supra se docuisse. Quibus verbis quo respiciat Lucretius, certari potest: id tamen certum est eum non niti in ea re, quam modo docuit, cum, quam multigenis formis primordia praedita essent, exponeret (333—477).

Iam vero constat et 522—8 bene cum 480—521 cohaerere versusque 522. 3 recte positos esse, neque 480—521 ex tota illa de formis primordiorum quaestione dissolvi posse. Illud autem

quod quoniam docui, pergam conectere rem quae
ex hoc apta fidem ducat

quia ante 480 perversum est, a poeta scriptum esse nequit.

Ad lectorem vero aut grammaticum interpolationum studiosum si hanc iterationem referremus, sumendum esset aliam transitus formam ea expulsam esse; quo autem consilio vel margini adscripta vel interpolata sit, vix dicas: ad editorem si referimus, fingere possumus, ea, quae inde a versu 481 scripta sunt, in scidis poetae non satis cum eis, quae antecedebant, coniuncta fuisse, atque transitionis efficiendae causa editorem illos versus ex 522. 3 desumpsisse.

Sed priusquam ad eum libri primi locum transeam, quo

similiter videtur editor egisse, cum ex versibus 529—531 quoque causa petita sit, cur 522—8 ut emblema secludendi essent, occasionem de illis versibus dicendi capto. Atque recte Lachmannus dixit, »si formam ac vincula orationis respiceremus, aut versus 522—8 superesse aut 529—31«. Itaque cum offensione illa, quae ex repetitione versuum

quod quoniam docui, pergam conectere rem quae
ex hoc apta fidem ducat, primordia rerum

oriebatur, remota 522—8 in illa de primordiorum formis disputatione iustum locum tenere demonstraverim, sequitur 529—31 hic spurios esse. Idemque adsequimur, si ipsum eorum argumentum consideramus. Profitetur enim poeta eis versibus se ostenturum esse, primordia ex infinito summam rerum tenere undique protelo plagarum continuato. Quod ab hoc loco alienum esse concedet, quicumque viderit inde a 532 usque ad 568 poetam accuratius inquirere in eam rem, quam ante contenderat: primordia simili figura perfecta infinita cluere, non in id: in universum primordiorum summam esse infinitam (cfr. 567. 8

esse igitur genere in quovis primordia rerum
infinita palamst);

neque in eis versibus plagarum mentio fit. Idque iam Gassendum perspexisse Lachmannus ita narrat, ut ei adstipuletur. Neutra vero earum rationum, quibus viri docti illos versus post 522—9 servare temptarunt, satis probabiliter excogitata est. Nonnulli enim, ut Bernaysius, Purmannus[1]), Pollius[2]) ante 529 lacunam statuerunt, in qua, ut opinor, generum singulorum significationem olim infuisse suspicantur. At ut omittam, sic versum 531 prorsus superfluum futurum fuisse, versibus 525—8 satis demonstratum erat similium formarum primordia esse infinita, ut poetae nihil demonstrare superesset nisi ne eo quidem suam sententiam labefactari, quod quaedam animalia rara essent. Aliter neque imprudenter Munroius versus in hoc contextu retinere conatus est, cum solo *ostendam* in *ostendens* mutato ad id, quod antecedit, (528) *id quod non esse probavi*

---

1) quaest. Lauban. II, 5. 2) Philolog. XXVI, 318.

referret. Tamen ego cum Briegero (Philolog. XXIV, 449) facio, qui hanc emendationem refutat duabus praecipue causis commotus: primum eis versibus aliquo modo obscurari, quo verba *nam quod* in 532 pertineant; deinde, quod mihi gravissimum videtur, nullo loco, ubi poeta simili modo quo in 528 ad rem iam probatam respiciat, ut I, 265. 429. 543. 951. II, 94. 499. 1050. III, 31. IV, 861. V, 772. VI, 486. 1094, adiungi, qua ratione id demonstratum sit. Nihil igitur restat nisi ut insiticios esse hos versus putemus. Adscripti autem sunt sine dubio a lectore illo philosopho, ut vel sibi vel aliis memoriam eius loci redintegraret, ubi poeta probaverat summam materiae infinitam constare.

Quod vero Briegerus putat, cum eis versibus argumentum inducatur, quo infinitam esse summam materiae poeta demonstraturus fuerit, quod tamen fortasse numquam ad finem perductum sit, eos non nimis intolerabiles esse, si versum 952 libri primi excipiant, id mihi non placet. Nam neque ad eas, quae iam multae sunt in Lucretii carminibus, difficultates novas ita addere fas est, ut novas partes a poeta non absolutas statuamus, et potest certus quidem locus afferri, ubi poeta de infinita materia dicit, in libri primi versibus 1014—51. Itaque ego puto II, 529—31 iteratos fuisse ex parte eorum versuum, qui post 1013 interciderunt. Nam post hunc versum lacunam hiare cum pridem cognitum est[1]) tum intellegitur ex eo, quod protasis versuum 1014—20 deest, cuius qui fuerit sensus, praeterea ex verbis Epicuri apud Dio-

---

[1]) 1012. 13 spurios esse mihi non persuadetur. Quod quidem Pollius (annal. philol. 93, 758) contendit, Lucretium in eorum poetarum numero esse, qui dactylica verba in *m* exeuntia non cum vocalibus committerent, neque *alterum eorum* scribere potuisse, satis refutavit Munroius. Conferenda sunt *innumerabilem enim numerum* VI, 485. *plusculum habent* IV, 616. *spongiam aquai* IV, 618.

Neque divelli illi versus possunt, ut recte dicit Madvigius (opusc. I, 316). Sed Lachmannus divellit, cum adnotet: »si Lucretius hic disiunctione usus est, tria membra erant, aut utrumque aut neutrum aut alterutrum e. q. s.« At de ea distinctione non agitur, sed aut corpus et inane alternis inter se terminant, aut alterutrum ab altero terminatur.

genem Laertium X, 41. 2 intellegitur: καὶ μὴν καὶ τῷ πλήθει τῶν σωμάτων ἄπειρόν ἐστι τὸ πᾶν καὶ τῷ μεγέθει τοῦ κενοῦ· εἴτε γὰρ ἦν τὸ κενὸν ἄπειρον, τὰ δὲ σώματα ὡρισμένα, οὐδαμοῦ ἂν ἔμενε τὰ σώματα, ἀλλ' ἐφέρετο κατὰ τὸ ἄπειρον κενὸν διεσπαρμένα, οὐκ ἔχοντα τὰ ὑπερείδοντα καὶ στέλλοντα κατὰ τὰς ἀνακοπάς. Haec igitur οὐδαμοῦ ἂν ἔμενε τὰ σώματα, ἀλλ' ἐφέρετο κατὰ τὸ ἄπειρον κενὸν διεσπαρμένα cum conversa fere redeant in versibus Lucretianis 1014—18:

nec mare nec tellus neque caeli lucida templa
nec mortale genus nec divum corpora sancta
exiguum possent horai sistere tempus:
nam dispulsa suo de coetu materiai
copia ferretur magnum per inane soluta,

sumptionem quoque (εἰ τὸ κενὸν ἄπειρον ἦν, τὰ δὲ σώματα ὡρισμένα) apud Lucretium redire exspectes. Deinde in versibus 1008 — 13 de infinita copia materiae et inanis ita sermo fit, ut alteram ab altera necessario pendere probetur. Inde a 1014 vero usque ad 1051 demonstravit poeta nihil creatum posse constare, nisi materiae copia infinita esset. Desideramus igitur quaedam, quibus professus sit se infinitam esse materiam demonstraturum nulla ratione habita eius necessitudinis, quae inter corpus et inane intercedat. Quod in lacuna olim infuisse necesse est. Atqui cum ei, de quibus agimus, versus

versibus ostendam corpuscula materiai
ex infinito summam rerum usque tenere
undique protelo plagarum continuato

talem indicationem contineant — nam quod non expresse dictum est, poetam ad eam, quae intercedat inter corpus et inane, rationem non esse respecturum, id nihil valet, quoniam, cum ante infinitam esse materiae copiam probaverit, quia inane alteram universi partem teneat, si denuo infinitam esse materiae copiam demonstraturus est, id ita tantum facere potest, ut illius argumenti nullam rationem habeat —, deinde cum hi versus, qui ad II, 528 explicandi causa adscripti sunt, nullo alio loco in codicibus servati sint, nonne

veri simillimum est eos hic cum pluribus intercidisse? Nam etiam plures intercidisse apparet, quandoquidem neque eis versibus protasis versuum 1014—20 suppletur, et ei ipsi protasi carent, sine qua nulla cum proximis coniunctio esset, quali tamen Lucretius alias constanter utitur.

Nunc argumentum versuum I, 1008 — 51 expedire conabor. Qua in re quantum Guilelmo Hoerschelmann debeam, perspiciet quicumque ea, quae ille de versibus 1008—13 in Observat. Lucret. alt. (Lipsiae 1877) pg. 23 — 9 praeclare disputavit, legerit, quae quidem novisse necesse est, si quis ad hunc locum accedet neque ceterorum interpretum erroribus a vero diduci volet. Inde a 1008 igitur Lucretius sic argumentatur: Ne ipsa quidem rerum summa modum sibi parare potest: quod natura prohibetur, cuius lege corpus et inane semper se excipiunt, ut finis statui nequeat. Aut si sumas alterutrum ab altero non terminari, tamen alterum infinitum esse necesse est. [Iam vero si corpus infinitum, inane finitum esset, »ea tantum corpora, quae iuxta parvulum illud inane posita essent, moveri possent, cetera quieta iacerent; atqui non perpauca, sed omnia corpora moveri videmus; itaque cum omnibus inane purum vicinum sit, ipsis illis minus esse nequit«[1]. Sin id potius statuere velis, inane infinitum, corpus finitum esse,]

versibus ostendam corpuscula materiai
ex infinito summam rerum usque tenere
undique protelo plagarum continuato.

[Nam hoc nisi ita esset,]

1014 *nec mare nec tellus neque caeli lucida templa*
nec mortale genus nec divum corpora sancta
exiguum possent horai sistere tempus.

Duas igitur causas poeta affert, cur materia, nisi infinita esset, dissoluta in magno inani dispulsa ferretur. Apud Diogenem unam legimus: *οὐδαμοῦ ἂν ἔμενε τὰ σώματα,*

---

[1]) Hanc sententiam a Lucretio pronuntiatam fuisse, quamvis ambiguum maneat, num Hoerschelmannus recte coniecerit, tamen argumentationem poetae simili modo processisse certum est.

ἀλλ' ἐφέρετο κατὰ τὸ ἄπειρον κενὸν διεσπαρμένα οὐκ ἔχοντα τὰ ὑπερείδοντα καὶ στέλλοντα κατὰ τὰς ἀνακοπάς: nisi infinito numero essent, primordia nusquam consisterent, sed ferrentur per infinitum inane dispersa, quod non ea haberent, quae sustinerent, si quando plagae resilirent. Quam causam apud Lucretium in versibus 1042—8 legimus. Addidit ipse alteram eam, quod in perpetua vice rebus nova semper alimenta adducenda essent.

(Quam causam non locupletem esse manifestum est: possis enim cogitare, in summa creata ea, quae ab aliis rebus defluant primordia, cum aeterna sint, alias recreare, ut quasi compensatio quaedam inter omnes res fiat, qua summa creata servetur.)

Neque tamen Lucretius has duas causas, quod exspectes, illis versibus (1014—8), ad quos pertinent, adiunxit, sed inseruit versus 1021 sqq. tamquam anacolutho, ut illos duos confirmaret:

1019 *sive adeo potius numquam concreta creasset*
ullam rem, quoniam cogi disiecta nequisset.

Nam concursus, inquit, materiae in plagis positus est, quae tamen frustra laborant, nisi, quotiens resilire coguntur, quod interdum fit (cfr. 1046), ex infinita copia materiae nova primordia eorum locum occupant, quae resilientibus illis ab illo coetu materiae discedant. Hoc igitur sine dubio sentit: primordia primum plagis ita congregata esse, ut singulae partes orerentur: ut autem totam summam creatam consistere non posse, nisi resilientibus plagis et primordiis aliquot discedentibus alia ex infinita materiae copia succurrerent (1046—8), sic etiam illas partes consistere non potuisse, nisi eis nova semper primordia suggesta essent, idque ex infinita copia materiae.

Ob eam igitur causam versus 1021—8 tam difficiles sunt, quod menti poetae, cum hos scriberet, iam id argumentum obversabatur, quod postea versibus 1042—8 expositurus erat. Delendos autem illos esse ut ex V, 419—23. 28 falso iteratos et ob hanc causam et ob alteram, quam statim proponam, nullo modo concedi potest, quoniam, si ei deessent, versus

sive adeo potius numquam concreta creasset
ullam rem, quoniam cogi disiecta nequisset

non haberent quo confirmarentur.

Primus illos versus delendos censuit Neumannus pg. 13—16, cui Briegerus quodammodo adstipulatur (Bursian. Jahresber. 1876 vol. VI, pg. 186). Atque ille sic ratiocinatur: »verba *servata* (1029) et *coniectast* (1030) ad *summa creata* (1028) nullo modo possunt referri, cum Lucretius dicere non potuerit summam creatam in motus convenientes coniectam efficere, ut mare amnes integrent, terra fetus novet, cetera, i. e. summam creatam summam creatam efficere. Haec omnia una de copia materiae dicta esse possunt.« Ut primum, quod proximo loco contendit, refutem, non recte dixit universam materiae copiam in motus convenientes coniectam esse: nam tota illa infinita primordiorum copia, quibus summa creata denuo semper alitur, extra certum motum versatur. Sed etiam quod Neumannus colligit, si 1029—34 ad summam creatam referrentur, eis nihil exprimi nisi summa creata summam creatam effici, a veritate longe recedit. Neque enim creat se ipsa summa creata, sed, cum semel in motus convenientes coniecta sit, manet in eis cogitque ea, quae iam affluunt primordia, ut eis indulgeant.

Nimis longe in hoc loco moratus esse viderer, nisi eum absolvere satius duxissem, ut in versibus V, 419—31 tractandis breviter ad ea, quae modo disserui, lectorem ablegare possem.

Ut igitur ad id, quod nobis propositum est, redeamus, dicendum est de

I, 635. 6

quapropter qui materiem rerum esse putarunt
ignem atque ex igni summam consistere solo.

Qui ut illi (II, 522. 3)

quod quoniam docui, pergam conectere rem quae
ex hoc apta fidem ducat, primordia rerum

brevi post iterum leguntur: 705. 6. Huic loco quin egregie conveniant, nemo erit qui dubitet. Postquam enim ignis exemplo usus docuit, quam ineptum sit, ex una materia principiali omnia creata derivare, cum neque cerni possit, quomodo ex ea aut densata aut rarefacta omnes res oriantur

(645—69), contra primordiorum ratione prohibeatur, ne omnia primordia ex eadem, quam nos percipere possimus, materia facta sint (675 — 689), et a sensuum veritate deficiatur, si statuas omnes res ex eadem materia genitas esse (690—704):

quapropter qui materiem rerum esse putarunt
ignem atque ex igni summam consistere posse,

atque eos omnes, qui materiam principialem sive aera sive aquam sive terram finxerunt,

711 *magnopere a vero longe derrasse videntur.*

At dedita opera Lucretium illos duos versus brevi spatio intermisso repetiisse nemo, credo, contendet: sed bene ea causa huc afferri posse videtur, quam Lachmannus, cum versus VI, 85—89 ut ab ipso poeta scriptos defenderet, protulit: priore loco — repetuntur enim VI, 87—89 in eodem libro versibus 383—5, de qua re quid ego sentiam, pg. 78 exponam — eos ab initio scriptos esse; deinde cum alteri aptiores viderentur, poetam eos repetiisse, cum in retractando carmine priore loco remoturus esset. Duae tamen sunt causae, cur id minus probetur. Vocem enim *quapropter* apud Lucretium conclusionis tantum, non transitionis loco poni his duobus locis docetur:

II, 37 *quapropter quoniam nil nostro in corpore gazae*
proficiunt neque nobilitas nec gloria regni,
quod superest, animo quoque nil prodesse putandum.

VI, 998 *quapropter, bene ubi haec confirmata atque locata*
omnia constiterint nobis praeposta parata,
quod superest, facile hinc ratio reddetur et omnis
causa patefiet, quae ferri pelliciat vim.

Ceteros locos omnes contuli, sed nunc quidem enumerasse satis habeo: I, 127. 398. 557. (705.) 794. II, 155. 238. 297. 313. 442. 1040. 1084. III, 130. 668. 677. 711. IV, 154. 191. 237. 610. V, 243. 581. (versum II, 998 spurium puto) [1].

---

[1] Versum II, 998 spurium esse spero concessurum esse, quicumque hunc locum accuratius legerit:

991 *denique caelesti sumus omnes semine oriundi:*
omnibus ille idem pater est, unde alma liquentis
umoris guttas mater cum terra recepit,

Poeta igitur si versus 635. 6 scripsisset, summam disputationis vim in eis, quae iam expositurus esset, versari censuisset, ea autem, quae de aeternitate ac soliditate primordiorum

---

feta parit nitidas fruges arbustaque laeta
et genus humanum, parit omnia saecla ferarum,
pabula cum praebet, quibus omnes corpora pascunt
et dulcem ducunt vitam prolemque propagant;
quapropter merito maternum nomen adepta est.
cedit item retro, de terra quod fuit ante,
in terras e. q. s.

Aether cum pater a poeta appelletur, quamquam qua re patrem se praestet, non est additum, ridicula est illa parenthesis, qua suo iure matris nomen terram adeptam esse (998) docemur, misereque discindit magnificos illos versus. Praeterea attendas, quaeso, cum Lucretius in quinti libri versibus 821—3 eandem sententiam proferat, ibi eam magis insignem notionem habere:

quare etiam atque etiam maternum nomen adepta
terra tenet merito, quoniam genus ipsa creavit
humanum atque animal prope certo tempore fudit.

Descripsit enim versibus 791—820, ex ipsa terra prima hominum genera orta esse. Dicit igitur versibus 821 sqq., quod translatis fere verbis dici soleat, terram matrem esse humani generis i. e. nutricem, quia alimenta praebeat, id ad verbum recte dici, »quoniam genus ipsa creavit humanum«. Contra illo secundi libri loco de eo sermo non fit, ipsam terram primum hominum genus genuisse, sed pascere homines, quia pariat fruges, quibus illi alantur (996. 7).

Nisi fallor, ex eodem fonte hic versus (II, 998) fluxit atque V, 795. 6.

sic nova tum tellus
mortalia saecla creavit
multa modis multis varia ratione coorta.
nam neque de caelo cecidisse animalia possunt,
nec terrestria de salsis exisse lacunis:
linquitur, ut merito maternum nomen adepta
terra sit, e terra quoniam sunt cuncta creata
multaque nunc etiam existunt animalia terris,
imbribus et calido solis concreta vapore.

Versus 795. 6 foede interrumpunt argumentationem, a terra animalia oriunda esse: 1. nam neque de caelo cecidisse possunt. 2. nec terrestria de salsis exisse lacunis. 3. multaque nunc etiam existunt animalia terris. Deinde non linquitur, ut merito nomen matris adepta sit terra, sed linquitur, ut mater fuerit.

exposuerat, eo tantum consilio disputata essent, ut ceterorum philosophorum doctrinas vanas esse demonstraretur. Apparet autem versibus 483—634 fundamentum constare totius doctrinae Lucretianae, quod cum iecerit, facili negotio probat ceterorum de principiali materia opiniones labi. At talem harum libri primi partium condicionem per *quapropter* particulam significare non potuit. Deinde, ut faciamus poetam hoc modo primordiorum doctrinam aliorum praeceptis opposuisse, tamen in transitionis formula sine dubio ei dicendum erat, omnes diversas de materia sententias sua primordiorum doctrina tolli. Quare non ei modo, qui materiem rerum esse putarunt ignem, cum quibus sane omnes, quicumque unam principialem materiem statuerunt, complecti potuisses, commemorandi erant, verum etiam Anaxagorae de homoeomeria sententia.

Ab ipso igitur poeta illi versus (635. 6) ne ab initio quidem post 634 scripti sunt. Eadem autem ratiocinatione, qua versus II, 478. 9 editori tribuimus, adducimur, ut hanc iterationem ad eundem referamus. Num etiam 637 ex II, 176 ab hoc iteratus sit, incertum est.

Reliqui sunt II, 177—83. Quibus pars efficitur loci, qui extra conexum eius quaestionis interpositus est, quae 62—162 [1]) et 184—332 de primordiorum motibus instituitur. Ac mala fortuna initium eius loci mutilatum est: in exitu tamen ei refutantur, qui ignari materiae, quod naturae ordo vitae hominum tam accommodatus sit, omnia a deis constituta esse fingunt. Deinde sequuntur illi versus:

177 *nam quamvis rerum ignorem primordia quae sint,*
hoc tamen ex ipsis caeli rationibus ausim
confirmare aliisque ex rebus reddere multis,
180 *nequaquam nobis divinitus esse creatam*
naturam mundi: tanta stat praedita culpa.
quae tibi posterius, Memmi, faciemus aperta:
nunc id, quod superest, de motibus expediemus.
(Nunc locus est, ut opinor, in his illud quoque rebus

[1]) II, 163. 4 (= IV, 207. 8) insiticios esse infra demonstrabo pg. 71 sq.

confirmare tibi nullam rem posse sua vi
corpoream sursum ferri sursumque meare.)

(177—81 = V, 195—9 excepto initio, quod in quinto libro hoc est *quodsi iam rerum ignorem*; deinde pro *esse creatam* V, 198 *esse paratam* scriptum est).

Ac primum quidem ex verbis *in his illud quoque rebus* (II, 184) cernitur poetam versus II, 184 sqq. una simulque cum eis, quae II, 62—162 de primordiorum motibus disputaverat, composuisse: nam *in his rebus* idoneo sensu caret, nisi, cum versus 184 sqq. conscriberet, poeta nova quaedam allaturus erat, quae eodem spectarent atque ea, quae ante tractaverat. Inde sequitur versus 165—83 non solum embolii instar a poeta sententiae suavitate ab eis, de quibus disputabat, diducto, sed omnino alia occasione atque 62—162 et 184 sqq. scriptos esse. Idem apparet ex eo, quod et is versus, quo 165 sqq. finiuntur,

nunc id quod superest de motibus expediemus

et is, a quo 184 sqq. exordiuntur,

nunc locus est, ut opinor, in his illud quoque rebus

ab eadem particula *nunc* initium capiunt.

Iam vero nemo opinabitur 165—83 ab ipso Lucretio in eum contextum, ubi in codicibus traditi sunt, insertos esse; nam dirimunt pessime totam de motibus primordiorum expositionem. Quare coniciemus eos nescio quo casu in scidis poetae hunc locum occupasse, ex quo editor non auderet eos removere. Ex eis, quae adhuc disserui, unum certe efficitur, versum 183 non esse a poeta scriptum: aut in animo habuisset 165—83 hoc loco inserere, quod nullo modo credi potest. Idem alia causa sustinetur: particula enim *nunc* Lucretius non utitur nisi ab initio novae disputationis (de *at nunc*, *quod nunc*, *nunc igitur*, et de *nunc* quale legitur in I, 110, hic non agi vix commemorare opus est). Non potuit igitur scribere

nunc id quod superest de motibus expediemus,

ut finem versuum 165—182 faceret. Atque adeo exilis hic versus est: neque enim de motibus in universum, sed de primordiorum motibus sermo fit.

Sed etiam in 177—81 difficultas inest gravissima, quae in discrimine illo posita est, quo ab altero, ubi leguntur,

loco differunt. Quod discrimen latissime patet. Neque enim haec poetae sententia est, quam nostra lingua sic exprimimus: »denn obwohl ich die Natur der primordia nicht kenne«: quippe qui saepe glorietur unum se esse ex illis sapientibus, qui naturam eorum, in quibus omnis rerum scientia sita sit, perspexerint! Quod cum iam antea viri docti sensissent, significantiorem eam mutationem putaverunt quam quae ad ipsum poetam non esset referenda. At quid significaret, non adnotaverunt. Profecto desideramus eum sensum, qui V, 195 verbis

quodsi iam rerum ignorem primordia quae sint,

efficitur: »selbst für den Fall, dass ich nicht wüsste, welches die Natur der primordia sei«. Quod cum intellegeret Briegerus (Bursian. Jahresber. 1876, vol. VI, pg. 164), ut hanc significationem in *quamvis* inesse posse demonstraret, attulit Cic. ad Att. 12, 37, 2: *quamvis prudens ad cogitandum sis, sicut es, tamen, nisi magnae curae tibi esset, ut ego consequerer id, quod magnopere vellem, numquam ea res tam belle in mentem venire potuisset.* At Cicero, cum dicit *quamvis prudens sis*, id certe sumit, Atticum esse prudentem, quod et per se clarum est et ex verbis *sicut es* intellegitur. Ad Lucretianum locum si id revocamus, illud, quod noluit Briegerus, ait poeta: se ignorare, quae primordia sint. Ego vero ipse omnibus locis Plautinis Terentianis Lucilianis perpensis, ubi

---

[ad. pg. 35] (Lucr. lib. III.)

denique in aethere non arbor, non aequore salso
nubes esse queunt, nec pisces vivere in arvis,
nec cruor in lignis neque saxis sucus inesse.
certum ac dispositumst ubi quicquit crescat et insit.
sic animi natura nequit sine corpore oriri
sola neque a nervis et sanguine longiter esse.
quid si posset enim? multo prius ipsa animi vis
in capite aut umeris aut imis calcibus esse
posset, et innasci quavis in parte soleret
tandem in eodem homine atque in eodem vase manere.
quod quoniam nostro quoque constat corpore certum,
dispositumque videtur ubi esse et crescere possit
sorsum anima atque animus, tanto magis infitiandum
totum posse extra corpus durare genique.

quamvis legitur, nusquam alibi id ea notione positum repperi.

Quae cum ita sint, non errabimus, si versus 177—81 non a poeta ipso iteratos esse statuerimus. Atque id praeterea alia re confirmari video. Nam quamvis a nescio quo homine docto (ac ne occasionem quidem locumve memini) exempla allata sint, quibus forma *quae* in versu 182 sustineretur, tamen nemo neget insolenter pluralem dictum esse pro eo, quod exspectamus, *quod*; sed si versus 182 versus 174—6 excipit, *quae* eodem modo, quo *quorum* in 174 ad omnes eas naturae res, quae illis materiae ignaris dubiae manent, spectat: quas Lucretius postea in quinto libro apertas facit. Tamen ut mihi persuasum est et 177—81 et 183 interpolatos esse, ita dubito, num ab uno eodemque homine profecti sint. Editori quidem, a quo 183 additum esse eo fit verisimile, quod transitus ad ea quae sequebantur deesse videretur, 177—81 tribuere dubito, quia causa, cur interpolati sint, nulla apparet. Habemus, nisi fallor, eundem grammaticum, cuius nefastae operae nonnulla exempla nobis iam occurrerunt, plura occurrent. —

Duo restant loci, in quibus »editor« curam forsitan collocaverit. In tertio libro codices habent post 783 hos versus (quibus adscribo eos ex quinto libro, cum quibus conferendi sunt):

126 *quippe etenim non est, cum quovis corpore ut esse* (lib. V)
posse animi natura putetur consiliumque;
sicut in aethere non arbor, non aequore salso
nubes esse queunt, neque pisces vivere in arvis,
nec cruor in lignis neque saxis sucus inesse.
certum ac dispositumst ubi quicquit crescat et insit.
sic animi natura nequit sine corpore oriri
sola neque a nervis et sanguine longiter esse.
quid si posset enim? multo prius ipsa animi vis
in capite aut umeris aut imis calcibus esse
posset, et innasci quavis in parte soleret
tandem in eodem homine atque in eodem vase manere.
quod quoniam nostro quoque constat corpore certum,
dispositumque videtur ubi esse et crescere possit
seorsum anima atque animus, tanto magis infitiandum
totum posse extra corpus formamque animalem
putribus in glebis terrarum aut solis in igni
aut in aqua durare aut altis aetheris oris.

Horum locorum uterque offendit. Atque ut a quinto libro exordiamur, id quod Goebelius[1]) contra versus V, 128—41 protulit repeto. Neque enim versus 132. 3 quicquam aliud significare possunt quam animum solum sine corpore esse non posse[2]). Quae sententia hic inepta est, ubi poeta demonstrare vult *cum quovis corpore* non esse posse animum. Deinde coniunctio enuntiatorum in versibus 126—33 prorsus debilis est. Etenim si verba, quae in versibus 128. 9 leguntur

sicut in aethere non arbor, non aequore salso
nubes esse queunt

ad ea quae praecedunt referuntur, *sic* in 132 ferri nequit; sin ad ea quae sequuntur referuntur, deest quo ad 126. 7 adiungantur.

In tertio libro primus Neumannus intellexit interpretationem haerere. Quamquam enim non plane probo quam protulit rationem, tamen recte contendit, quoniam versus 784 sqq. idem argumentum complectantur atque versus 615—23, fieri non potuisse ut poeta eandem sententiam brevi spatio intermisso repeteret. Praeterea verba *nostro quoque corpore certum constat* (794) quo spectent non habent, cum oppositum desit (in quinto libro *quoduis corpus* (126) oppositum est) summamque dubitationem illud movet, quod inde ab 800 res exponitur, qua ea quae praecedunt non constabiliuntur, quod tamen fieri propter verba *quippe etenim* exspectes. Neque enim id accipiam, quod Reisackerus eumque secutus Neumannus opinati sunt, 798. 9 cum 800—5 coniungendos esse. Nam versus 800—5 in ea sumptione — quae utrum ioco an serio posita sit, nihil ad nos pertinet — versantur, animam esse immortalem: versus 798 sq. vero gravissime exprimunt mortalem esse animam.

---

1) obs. pg. 27.

2) Neumanni explicatione »scripsit igitur *sine corpore sola* pro *sine corpore animali* vel *sine certo suo corpore*, ut sola 'sit vel libera a corpore animali« verbis scriptoris vis afferri videtur, praeterquam quod corpus eo loco non animale tantum corpus significat, sed omnem materiam, quacum animum coniunctum esse cogitari possit.

Itaque cum nec versus 790—7 a Lucretio scripti esse possint in hoc libro (III), nec versus 798. 9 in eo contextu, ubi traditi sunt, apti sint, cum Susemihlio (Philol. XXVII, 44) arbitror versus 787—9. 798. 9 pertinuisse ad eam partem, quae inde a 615 orditur neque absoluta est; deinde nescio quo casu a suo loco dispulsos esse: editorem autem, cum per se positos eos sanum sensum non praebere intellegeret, addidisse illos versus ex quinto libro, ut tamquam novum mortalitatis animae argumentum efficeret. In quinto vero libro versus 131—3 male iterati sunt a grammatico vel lectore philosopho, qui, cum ille locus cum tertii libri versibus 784—6 et 790—7 congrueret, etiam 787—9 inseruit, ratus fortasse eos forte fortuna ex textu ablatos esse. —

Deinde agendum est de eis versibus, qui in libro quinto leguntur:

V, 247—50. 257—305.
[(266). 267 = V, (388). 389; 269—72 = VI, 635—8]

Hunc locum forsitan nimia audacia tractasse videar; sed argumentis solum confisum non praesumpta quadam de iterationibus opinione ductum me hanc quaestionem instituisse adsevero.

In prima quinti libri parte cum mundum mortalem esse demonstraturus sit, poetam non fallit,

97 *quam res nova miraque menti*
accidat exitium caeli terraeque futurum,
et quam difficile id . . sit pervincere dictis;

ob eamque causam id ante omnia spectat, ut caeli et terrae exitium quam maxime probet. Itaque, quod primum affert, argumentum exit in haec verba:

243 *qua propter maxima mundi*
cum videam membra ac partis consumpta regigni,
scire licet caeli quoque item terraeque fuisse
principiale aliquod tempus cladem que futuram.

et a 351 demum (usque ad 415) argumentatio ad totum mundum respicit. In versibus 324—50 autem Lucretius ex con-

trario argumentum petit, cuius hypothesis his verbis concepta est:

324 *si nulla fuit genitalis origo*
terrarum et caeli semperque aeterna fuere.

In eis igitur, quae praecedebant, de genitali origine *terrae et caeli*, et id quidem totius terrae et totius caeli, dictum fuisse necesse est, ac revera in versibus 318—23 probatur caelum totum nativum mortali corpore constare (321). Simul autem apparet ex verbis

318 . . . *iam tuere hoc, circum supraque quod omnem*
continet amplexu terram

primum quidem, antea de caelo eum non dixisse; deinde, de terra dixisse. Atqui in proximis versibus terra omnino non commemoratur. Versus quidem 306—17, in quibus monetur, turres ac saxa ruere victa ab aevo, quod non facerent, si ex infinito omnia tormenta aetatis pertolerassent, pro exitu disputationis de mutabilitate atque mortalitate totius terrae bene possunt haberi, sed textus traditio hanc interpretationem arcet impeditque, quominus illos versus cum 251—6 coniungamus, cum quibus eos convenire manifestum est. Quin etiam versibus 261—72. 273—80. 281—305 perlustratis intellegimus verba *pars terrai* (251) ad ipsam terrenam materiam, cui umor aer ignis opposita sunt, referenda esse, a quo absonum quidem est, quod in versibus 257—60 terra pro persona habetur.

Quod igitur expositum iri ex versibus 318—23 itemque ex 306—17 nostro iure exspectamus, id in textu tradito non legitur.

Nunc ut examinemus, quid argumenti versus 251—305 habeant, versibus 251—60 demonstratur terram libari et auctam recreari; versibus 261—72 umorem perpetuo et crescere et evanescere; versibus 273—80 aera non cessare gigni de rebus et in res recidere; versibus 281—305 solem lunam stellasque

303 *ex alio atque alio lucem iactare subortu*
et primum quidquid flammarum perdere semper;
inviolabilia haec ne credas forte vigere.

Denique id, quod 235—7 dictum erat, terrae corpus et umorem

et aera et ignem ex nativo ac mortali corpore constare, argumentis probatur. Quod cum universum ab hoc loco alienum non sit, tamen in singulis partibus offendimus.

Atque quae secunda parte (261—72) continentur, perfectiora leguntur in sexti libri versibus 608—38, ubi etiam versus (269 sqq.) *percolatur enim virus sqq.* exstant. Quod poeta contendit maris aquas minui, hoc novo argumento in libro sexto auctum est:

627 *praeterea docui multum quoque tollere nubes*
umorem magno conceptum ex aequore ponti,
et passim toto terrarum spargere in orbi.

Atque omnino descriptio multo iucundior ac dilucidior est (cfr. VI, 631—8 cum V, 268—72). Praeterea mirum est, quod poeta in versu 627 ad alium sexti libri locum (503 sqq.) respicit, ubi eandem sententiam iam protulerat. An vero putas, cum versus 631—8 scriberet, eum non meminisse plane idem argumentum se iam semel exposuisse, atque in quattuor versibus eisdem verbis usum? Pono enim eos versus in sexto libro posteriore tempore scriptos esse quam in quinto. Nam nihil aliud licet, si versibus VI, 608—38 cum V, 261—72 comparatis attendimus poetam, quod semel optime expresserit, vix male repetere.

Sed etiam dictio in V, 261—72 habet quo offendas. Primum enim ordo ac dispositio versuum 264—8 displicet. Nam duo illa enuntiata causalia *quod venti verrentes diminuunt radiisque retexens aetherius sol* et *quod supter per terras diditur omnis*, quia per *partim* — *partim* coniuncta sunt, ab uno enuntiato primario pendere necesse est, scilicet ab *in summa fit ut nil umor abundet,* neque vero ambo ad *primum quicquid aquai tollitur* pertinent, quoniam, si hoc statueremus, altera enuntiatio absurda esset. Itaque dispositionem grammaticam si spectamus, illa verba confirmatione carent, cum revera verba *quod venti verrentes diminuunt radiisque retexens aetherius sol* eam praebeant, quoniam sol et ventus superficiem tantum aequoris tangunt. Gravius tamen illud est, quod *decursus aquarum* (263) alia significatione positum est ac *decursus aquarum* in VI, 609 (et *decursus aquai* I, 283 et V, 946):

(I, 283 *montibus ex altis magnus d e c u r s u s a q u a i*

V, 946 *montibus e magnis decursus aquai,*)
VI, 608 *principio mare mirantur non reddere maius*
naturam, quo sit tantus decursus aquarum,
omnia quo veniant ex omni flumina parte.
adde vagos imbris tempestatesque volantes.

Hic *decursum aquarum,* cum fontes non minus quam flumina ac mare augeat (261. 2), nihil significare nisi imbrem: contra in sexto libro solam eam accessionem, quae mari ex fluminibus affluat, intelleget, quicumque accuratius eum locum adspexerit. Denique accedit argumentum, quo solo illud quidem ostenditur, 261—72 si a poeta scripti sint, non eo quo decebat loco traditos esse. Diligenti enim disquisitione Stuerenburgius (Acta soc. Lips. II, 379—83) demonstravit formulam *quod superest* adhibitam non esse a Lucretio nisi ita, ut ad finem argumentationis vel enumerationis transiret[1]). Nostro vero loco cum probetur quattuor elementa consumpta regigni, verbis *quod superest* ad umoris tractationem transitur: ergo hanc partem, si a poeta oriunda esset, extremo loco positam fuisse necesse est, ita ut post 305 collocanda sit, id quod proponit Stuerenburgius, si modo verba eius recte capio, cum editori falsam collocationem culpae vertat. Et ille quidem recte agit. Quodsi eos versus aliis quoque rebus suspectos esse demonstravi, et praeterea versus 273—80 graves offensiones excitant, quae neque transponendo neque seiungendo a carminis continuitate tollantur, fortiore ad textum recte constituendum remedio utendum erit.

Nam aeris tractatio incohatur particulis *nunc igitur,* quae hic soli coniunctioni inserviunt. Ceteris autem locis Lucretianis *nunc igitur* locutio eandem notionem habet, quam *atqui*; ponitur igitur in assumptione syllogismi:

IV, 230 *praeterea quoniam manibus tractata figura*
in tenebris quaedam cognoscitur esse eadem quae

[1]) Vahlenius (Monatsber. d. Berl. Acad. Aug. 1877) eum impugnavit nullo argumento adlato. Nam quod dixit non omnia a Stuerenburgio collecta esse exempla, vix quicquam valet. Unus sane locus ab eo praetermissus est: IV, 768, qui tamen id, quod ille de formula *quod superest* pronuntiavit, confirmat.

cernitur in luce et claro candore, necessest
consimili causa tactum visumque moveri.
234 *nunc igitur si quadratum temptamus et id nos*
commovet in tenebris, in luci quae poterit res
accidere ad speciem quadrata, nisi eius imago?
esse in imaginibus qua propter causa videtur
cernundi.
IV, 750 *qua tenus hoc simile est illi, quod mente videmus*
atque oculis, simili fieri ratione necessest.
752 *nunc igitur quoniam docui me forte leonem*
cernere per simulacra, oculos quaecumque lacessunt,
scire licet mentem simili ratione moveri.
III, 199 *parvissima corpora pro quam*
et levissima sunt, ita mobilitate feruntur [1]*:*
at contra quaecumque magis cum pondere magno
asperaque inveniuntur, eo stabilita magis sunt.
203 *nunc igitur quoniam est animi natura reperta*
mobilis egregie, perquam constare necessest
corporibus parvis et levibus atque rutundis.
III, 425 *principio quoniam tenuem constare minutis*
corporibus docui multoque minoribus esse
principiis factam quam liquidus umor aquai
aut nebula aut fumus, iam longe mobilitate
429 *praestat et a tenui causa magis icta movetur* [2].

. . . .

434 *nunc igitur quoniam quassatis undique vasis*
diffluere umorem et laticem discedere cernis,
et nebula ac fumus quoniam discedit in auras,
crede animam quoque diffundi multoque perire
ocius et citius dissolvi in corpora prima.
I, 645 *Nam cur tam variae res possent esse, requiro,*
ex uno si sunt igni puroque creatae?
nil prodesset enim calidum denserier ignem
nec rare fieri, si partes ignis eandem
naturam quam totus habet super ignis haberent.

---

[1] codd. *fruuntur*, cfr. IV, 745.
[2] 432. 3 spurii sunt (cfr. Lachmannum).

650 *acrior ardor enim conductis partibus esset,*
languidior porro disiectis disque supatis:
amplius hoc fieri nil est, quod posse rearis
talibus in causis, ne dum variantia rerum
654 *tanta queat densis rarisque ex ignibus esse*[1].
675 *nunc igitur quoniam certissima corpora quaedam*
sunt, quae conservant naturam semper eandem,
quorum abitu aut aditu mutatoque ordine mutant
naturam res et convertunt corpora sese,
scire licet non esse haec ignea corpora rerum.

Alias *nunc igitur* in Lucretianis carminibus non legitur: illis locis tam constantem significationem habet, ut mihi non dubium sit quin hoc loco (V, 273) a poeta non sit scriptum.

Deinde miror neminem adhuc argumentum huius alterius membri in suspicionem vocasse. V, 276—8 dicitur, nisi aer res fluentes recrearet et amissa illa primordia retribueret, brevi tempore fore ut omnia dissolverentur et in aera verterentur. Lucretius vero rerum recreationem prorsus alio modo fieri narrat:

II, 1105 *multaque post mundi tempus genitale diemque*
primigenum maris et terrae solisque coortum
addita corpora sunt extrinsecus, addita circum
semina, quae magnum iaculando contulit omne;
unde mare et terrae possent augescere, et unde
appareret spatium caeli domus altaque tecta
tolleret a terris procul, et consurgeret aer.
nam sua cuique, locis ex omnibus, omnia plagis
corpora distribuuntur et ad sua saecla recedunt,
umor ad umorem, terreno corpore terra
crescit, et ignem ignes procudunt aeraque aer.

cum quibus conferas I, 1031—7.

Ergo versus V, 273—80 Lucretii esse non possunt.

Iam vero ut quae eruimus comprehendamus, versus 273—80 a poeta non sunt scripti; 261—72 ieiuni sunt, et,

[1] 665—69 omisi, quod parenthesis loco inserti sunt. 670—4 spurii sunt. cfr. pg. 60 sq.

si omnino a Lucretio oriundi sunt, post 305 ponendi; deinde desideramus quaedam, quibus de terrae totius caelo oppositae mortalitate dictum sit. Quibus perpensis facere vix possumus, quin 261—305 poetae non esse statuamus, cum praesertim versibus 273—80 deletis eos, in quibus de mortali natura aquae et ignis agatur, delendos esse sequatur: nam de eis, in quibus de terra agitur, paulo aliter statuendum esse mox apparebit.

Ad hos (V, 247—60) nunc transeamus. Primum *illud in his rebus* (247) aliter usurpatum est atque ceteris carminis locis; deinde versus 257—60 et soli et cum 251—6 coniuncti difficultates praebent.

Atque *illud* (247) pertinet ad *quod terram atque ignem mortalia sumpsi esse e. q. s.*, ad certam igitur rem, quam poeta iam tetigit: omnibus ceteris locis *illud* (scilicet in simili coniunctione) ad novum quiddam spectat:

I, 80 *illud in his rebus vereor, ne forte rearis*
inpia te rationis inire elementa.

I, 370. 1052. II, 308. III, 319. 370. 900. IV, 256. 822. 898. V, 666. 1091. VI, 1056. 1230[1]).

II, 184 *Nunc locus est, ut opinor, in his illud quoque rebus*
confirmare tibi, nullam rem posse sua vi
corpoream sursum ferri sursumque meare.

II, 216. II, 581 (IV, 858. V, 590. III, 754. II, 934).

Deinde versus V, 257—60 accuratius consideremus. Quorum si lectionem codicibus traditam sequimur, haec sunt:

praeterea pro parte sua quod cumque alit auget
redditur.

Quod Lachmannus *alid* Lambini coniecturam recte amplexus ita interpretatus est: quod alias res auget, id pro sua parte

---

1) Unus est locus, qui prima specie repugnare videatur:

II, 891 *illud in his igitur rebus meminisse decebit*
non ex omnibus omnino, quaecumque creant res,
sensile et extemplo me gigni dicere sensus,
sed magni referre e. q. s.

At *meminisse* non pertinet ad quiddam, de quo iam dixit; sed confitetur opus esse in tota quam instituturus sit quaestione memoria tenere id, quod iam dicturus est.

recreatur. At id, quod huic sententiae plane contrarium est, in versibus V, 322. 3 legitur:

nam quodcumque alias ex se res auget alitque,
deminui debet.

Atque ad communem omnium sensum si id revocamus, illo loco, si *redditur* pro *recreatur* accipiamus, absurditatem contineri apparet: sane quaecumque res aliam auget, virium damnum capit. Altera causa, cur Lachmanni interpretatio falsa sit, in ea, qua hi versus cum proximis conectuntur, particula posita est. Nam quoniam in 251—6 de diminutione tantum terrae dicitur, si iam ad eas res, quibus restitutio eius fieret, transiretur, *praeterea*, quippe quae particula ea solum enuntiata, quae ad eandem rem pertinent, conectat, falsum esset. Iam vero, cum ea quam desideramus notio in *redditur* inesse non possit, si de corruptela scripturae cogitare velimus, fingamus oporteat, a poeta scriptum fuisse verbum aliquod, quod idem fere valeret atque *diminuitur*. Tum vero alia difficultas oritur, quod verbis (V, 258)

et quoniam dubio procul esse videtur
omniparens eadem rerum commune sepulcrum

id affertur, quod eis quae antecedunt opponitur: terram recreari; ergo per particulam *et* adnecti nequit. Accedit quod etiam sic ea, quae versibus 247—60 continetur, argumentatio admodum languida est. Versus enim 247—50 si tuemur, iam exspectamus demonstratum iri terram non minus augescere quam perire: habemus autem tria argumenta, quibus terram diminui appareat: 1. *principio pars terrai e. q. s.* 2. *pars etiam glebarum e. q. s.* 3. *praeterea pro parte sua e. q. s.* Ad auctum terrae sola verba *videtur omniparens eadem rerum commune sepulcrum* pertinent, eaque enuntiato secundario conclusa sunt. Tacebo de eo, quod idem argumentum, quodcumque aliud augeat, diminui, si versus 257—60 a poeta essent profecti, bis brevi spatio intermisso adhibitum esset: eae enim causae in Lucretianis carminibus examinandis magis quam aequum est neglegi videntur.

Constat igitur et 247—50 a poeta scriptos non esse, quia a certa eius consuetudine, qua verbis *illud in his rebus* usus est, recedunt, et 257—60, si traditam scripturam ser-

vemus, cum male cum eis quae praecedunt coniungi tum falsam sententiam prodere; sin eam, quae necessaria sit, mutationem faciamus, posteriorem eorum partem a priore dissentire. Quae cum ita sint, ne 257—60 quidem a Lucretio compositi esse possunt.

Versibus 247—50 et 257—305 seclusis habemus sententiarum continuitatem planissimam. Ea enim, quam instituit poeta de mundi mortalitate, quaestio duabus ex partibus constat: quarum altera quidem, quae versus 235—46, 251—6, 306—350 continet, de caelo terraque, ex quibus partibus mundus constat, altera de toto mundo agitur. Ac prior quidem pars tria comprehendit membra:

I. 235—46 demonstratur, maxima mundi membra cum consumpta regignantur, scire licere, caeli quoque terraeque fuisse principiale aliquod tempus clademque futuram.

II. 251—6. 306—23 demonstratur, et terram et caelum ea natura praedita esse, ut mortalia esse videantur: ac principio quidem terram

a) 251—4.
b) 255—6.
c) 306—17.

deinde caelum 318—23.

III. Si non essent genita terra et caelum, cur ad certum quendam finem hominum memoria pertinet neque ante bellum Troianum quicquam rerum bellorumque factum esse accepimus?

Factae vero sunt illae interpolationes, quia argumentatio deesse videbatur, qua verba (V, 243)

qua propter maxima mundi
cum videam membra ac partis consumpta regigni

confirmarentur, cum eum, qui interpolavit, praeteriret Lucretium in primo libro satis multa de primordiis disputasse, quo quaeque natura supremo tempore dissolveret,

I, 547 *materies ut suppeditet rebus reparandis,*

itemque eo loco, quem supra laudavi, II, 1105 sqq. exposuisse, umori terrae igni aeri semper nova primordia adportari,

(II, 1116) *donique ad extremam crescendi perfica finem*
omnia perduxit rerum natura creatrix.

Ad editorem autem cur interpolationes revocare maluerim quam ad grammaticum illum, quem in Lucretii carminibus versatum esse statui, una mihi causa est, quod genus dicendi aliquantum miseris illis grammatici commentis praestare videtur. —

Has indagavi editoris iterationes. In quibus statuendis id consilium secutus sum, ut illius operam eis solis locis agnoscerem, ubi poetae reliquiae tam mancae vel erant vel esse videbantur, ut et ipsius poetae memoriam et lectorum oblectationem tuitus pauca adderet. Neque negaverim alia ab eo et iterata et inventa praeter eos locos, quos ego memoravi, exstare posse, sed cum operam eius certis finibus describere nequeamus, cavendum erit, ne quid ei tribuamus, quod ab eius consilio emendandi carmina afuerit.

Postremo loco profitendum est, quid de persona editoris sentiam ac potius non sentiam. Hieronymum de Marco Cicerone carminum emendatore cogitasse certum videtur. Quem tamen emendandi operam suscepisse nullo modo mihi persuadetur. Neque enim, quod recte monuerunt viri docti, ullum huius operae in Ciceronis libris exstat vestigium. Deinde ubi integro animo locum illum in epistularum ad Quintum fratrem libro secundo (11, 3), quae epistula ineunte mense Februario a. u. c. 700 scripta est, (*Lucretii poemata*, *ut scribis*, *ita sunt, multis luminibus ingenii, multae tamen artis. sed cum ⟨ad umbilicum⟩ veneris, virum te putabo; si Sallustii Empedoclea legeris, hominem non putabo*) legeris, unum inde certum colligi mecum putabis: Marcum et Quintum de Lucretii carminibus antea neque collocutos esse neque scripsisse. Deinde ut ex illis quae addidit *si Sallustii Empedoclea legeris, hominem non putabo* apparet, quidquid ante ea locum habuisse fingas, Cicero obiter hoc loco de Lucretii carminibus dixit. Idque eum facturum fuisse, si ipse carmina edidisset aut in edendo versatus esset — id quidem statuere possis, eum has vel illas partes fratri misisse —, prima de eis loquendi occasione data putas? Sed etiam si frater edidisset, mirum esset

non fusius eum de carminibus dicere. Itaque facere non possum quin putem de Lucretii carminibus non multo antea publici iuris factis Cicerones iudicium breviter inter se communicare: gravius eos non esse motos et ex eo, quod nusquam alias Lucretii mentionem faciunt, et ex tota eorum natura atque ingenio colligas.

Inquirere vero, cuinam hominum doctorum, qui tum Romae vigebant, sectae adnumerandus sit editor, supervacaneum duco, quoniam propriam eius naturam ex eis, quae in carminibus Lucretianis emendavit, non satis perspicere possumus neque inde quicquam ad emendatoriam eius operam accuratius cognoscendam redundat.

III.

Tertio loco ad grammatici illius interpolationes, quae longe maximam iteratorum partem efficiunt, accedamus. Qui recensionem carminum ita facere studuit, ut vel argumentationem augeret argumento aliquo, quo alias poeta usus erat, vel insignes locos repeteret aut ad eos revocaret. Quo ingenio fuerit quaque arte usus sit, in ipsis locis tractandis cognoscemus: eos enim constanter comprehendam, ex quibus simile eius consilium appareat. De persona vero eius ac temporibus id solum dici potest, eum ante Gellium fuisse. Nam versus IV, 216—29, quos ab eo ex sexto libro falso repetitos esse pg. 73 demonstrabo, iam ab illo in quarto libro lecti sunt.

Fuit ille quidem, nisi fallor, unus ex eis, qui Frontonis partes secuti priscorum scriptorum Latinorum libros magno studio parvoque ingenio colerent. Qui ut in suis scriptis veterum dictionem imitabantur, ita in ipsis eorum libris recensendis, quid hoc dicendi genere pollerent, periclitatos esse mirum non est[1]).

---

[1]) Ex genere dicendi in interpolationibus ab ipso adhibito de aetate grammatici nihil certi potest colligi. Nimirum etiam eis locis, ubi non totos versus Lucretianos nulla mutatione facta falso inseruit, sed ex suo ingenio pauca addidit, plerumque Lucretianis verbis usus est. Tamen bis sua sponte antiquiores formas posuit: I, 672 pro *illis* scripsit *ollis*; IV, 53 vox *cluet* priscam latinitatem sapit.

Sed post Lachmannum ei docti homines, qui in Lucretii carminibus emendandis operam ponebant, quam maxime veriti sunt interpolationes de industria factas statuere. Et recte quidem in hoc opere imperfecto a poeta relicto magna cautione agendum esse arbitrati sunt. Attamen potuisse facillime interpolationes in illa carmina deferri non minus concedendum est. Sane in nullo alio litterarum genere explicationes vel amplificationes addendi occasio magis datur quam in carmine didactico: intellego praeter cetera illa additamenta, quibus argumentum prius allatum repetitur, cum poeta idem revocare supervacaneum duxerit.

Iterationes vero etiam in aliis scriptoribus interpolandi causa factae sunt. Ut in Vergilii Aeneide tertia fere pars iterationum spuria est (collegit eas Forbiger ad Eclog. 5, 37); atque ceterarum quoque dubito an haec vel illa insiticia sit.

Denique propter eas suspiciones, quibus viri docti ad tales quaestiones adire solent, attendas duos exstare locos, quibus certa interpolationis vestigia appareant. In secundo enim libro versibus 749—56 interpolatis nonnulla a poeta scripta depulsa sunt, ita ut versu 748 enuntiatum contineatur, cuius exitus desit. Nam quod Bentleius coniecerat versum 743 post 748 transponendum esse, quamvis Lachmannus eum secutus sit, tamen ferri non posse demonstrabo. In sexto autem libro, ubi 383—5 interpolati sunt, restat unus ex eis versibus a poeta compositis, qui interpolatione expulsi sunt. Dicam de eis locis pg. 59 sq. et pg. 78.

Sed ne diutius in praefando moremur, incipiam ab eo loco, qui in primis memorabilis est, quod et interpolatoris et lectoris philosophi operam ibi agnoscere licet, ut dubium esse nequeat, quin duobus temporibus orta additamenta in codicibus nostris exstent, altera quidem interpolandi causa facta, altera non aeque infelici consilio margini adscripta.

II, 1013—1022.

1020 = 726.

1015 (1016) = I, 820 (821).

significant pro *constituunt.*

1021 = I, 685.

Hos versus insiticios esse cum Briegerus (Philolog. XXV, 89) suspicatus est, tum Neumannus pg. 51 argumentis probare studuit: sed possunt certiora afferri. Iam pridem autem Lachmannus vv. 1015. 6 et 1020 eiecit, illos quidem, quia sententiarum cohaerentiam turbarent, hunc, quod grammaticis rationibus repugnaret; ego quidem, cum totum hunc locum interpolatum esse existimem, etiam vv. 1015. 6 ab interpolatore sic, ut sunt, scriptos esse posse, v. 1020 tamen a posteriore lectore ad v. 1021 adscriptum esse censeo. Quod paulo post accuratius ostendam.

Ac primum quidem quaerentibus, quo referenda sint verba *cum quibus et quali sint ordine quaeque locata*, si retinentur vv. 1015. 6, nulla dubitatio est, quin illo *quaeque* elementa contineantur; si non retinentur, aut de litteris aut de verbis cogitandum est. Quorum neutrum aptum sensum efficit. Nam neque litterarum neque verborum multo maxima pars est consimilis, id quod in vv. 1017. 8 contenditur. Deinde verba *verum positura discrepitant res* (1018) sano sensu carent. Quod quo magis appareat, paucis eruamus, quid apud Lucretium *positura* significet. Sufficiet hos locos afferre:

II, 1008 *ut noscas referre eadem primordia rerum*
cum quibus et quali positura contineantur.

II, 894 . . *magni referre ea primum* . . . . .
. . . .
896 *motibus ordinibus posituris denique quae sint.*

I, 684 *sunt quaedam corpora, quorum*
concursus motus ordo positura figurae
efficiunt ignis.

Ubi *positura* non potest significare situm, qui inter plurium primordiorum complexum est, quoniam in primo una cum *quali positura contineantur* illud *cum quibus contineantur* positum, in reliquis etiam *ordo* primordiorum commemoratus est, qui eam, quae inter singula primordia intercedat, cohaerentiam significat. Ergo *positura* pertinet ad eum situm, quo singula primordia posita sunt[1]. Quam notio-

[1]) Quamquam pluralis aliter a Lucretio usurpatus videtur esse:

nem si in hunc de quo agimus locum adhibemus, absurda fit sententia. Nam *positura discrepitant res*, si in medio relinquimus, utrum *res* ad verba an ad versus pertineat, nihil aliud significat quam versus positura verborum discrepare aut verba positura elementorum. At id certe non agitur, num verba vel litterae in capite vel a tergo posita sint.

Video nimis longam disputationem me facere de nugis, quae quo absurdiores sunt, eo difficiliores refutatu; sed ne munus recensendi levius tractasse videar, etiam exitum huius loci contemplemur. Quo nihil potest inveniri stultius. Nam cum dictum sit (II, 1020 sqq.)

materiai
concursus motus ordo positura figurae
cum permutantur, mutari res quoque debent,

quid aliud inde colligitur quam figuras principiorum permutari posse? Quod quantopere a Lucretii de atomis doctrina diversum sit, quicumque libros primum et secundum tetigerit, perspiciet.

Quare certum est hos versus a Lucretio non esse compositos; neque vero sic defendi possunt, ut Lucretium eos alio loco ponere in animo habuisse putemus, quod fecerunt Lachmannus et Bernaysius aliis quidem causis moti. Nunc iam eam quaestionem absolvere possumus, quae de interpolatoris et de lectoris philosophi una in hoc loco agnoscenda opera mota est. Atque versum 1020 (= 726) non ab eo, qui totum hunc locum conscripsit, insertum esse ut appareat, argumentis non est opus. Ac ne interpolandi quidem causa adiectus est: quod si esset, sane facillima opera *vias* in *viae*, *plagas* in *plagae* mutata essent. Itaque lectori alicui eum tribuemus, qui, cum versum 726 memoria teneret, quo ipsi similes res contineri viderentur atque in 1021, eum in hunc locum transscripserit. Unde cum id ipsum appareat lectorem illum philosophum posteriore tempore vixisse quam interpolatorem, id eo confirmatur, quod hic versus (1020)

intervalla vias conexus pondera plagas

II, 947: *dissoluuntur enim positurae principiorum.* conferas IV, 667. 943.

ex eiusdem interpolatoris officina prodiit. Nam et II, 718—29 et V, 441 interpolatos esse infra probabo.

Ut vero hic clarum est, quid ab interpolatore, quid a lectore philosopho profectum sit, ita haud paucis locis discerni nequit, ex utro fonte interpolatio fluxerit. Quare ne regulis ponendis, quae, cum plerumque definire non possimus, quas rationes ille lector philosophus in singulis suis adnotationibus secutus sit, vagae fere atque incertae sint necesse est, tempus teramus, ad ipsos eos locos, quos spurios arbitror, adeamus: quorum si quis unum alterumve lectori potius tribuere volet, nihil prohibebo, si modo id concesserit, permultos in carminibus Lucretianis inveniri locos de industria interpolatos.

Sed cum id potissimum agendum sit, ut interpolatoris operam ratione quadam ductam esse demonstremus, ad eum locum transibo, qui ei, qui modo tractatus est, simillimus est. In hoc eodem enim libro (II) post versum 687 sequuntur in codicibus hi versus:

quin etiam passim nostris in versibus ipsis
multa elementa vides multis communia verbis,
cum tamen inter se versus ac verba necesse est
confiteare alia ex aliis constare elementis;
non quo multa parum communis littera currat
aut nulla inter se duo sint ex omnibus idem,
sed quia non volgo paria omnibus omnia
constent.
sic aliis in rebus item communia multa
multarum rerum cum sint primordia, verum
dissimili tamen inter se consistere summa
possunt; ut merito ex aliis constare feratur
humanum genus et fruges arbustaque laeta.

688—(691) = I, 823—(6).
(692). 4 = II, (336). 7.

Est igitur idem argumentum, ut res permixto semine constare probetur, hic adhibitum. Accurate autem consideratis eis, quae antea tractata sunt, similitudinem litterarum recte hic positam esse negemus. Nam demonstraturus erat poeta (581 sqq.), ex *variis generibus* primordiorum singulas res

compositas esse: ex variis generibus litterarum verba ac versus composita esse dicere non potuit. Sed etiamsi concedamus poetam id tantum demonstrare voluisse, ex variis rebus unam summam confici posse, tamen illi versus singuli satis multas offensiones praebent. Atque illud *inter se* in v. 690 quomodo intellegatur, nescio. Nam quod in libri primi versibus 825. 6 legimus

cum tamen inter se versus ac verba necessest
confiteare et re et sonitu distare sonanti,

prorsus rectum est, cum *inter se* ad *distare* pertineat neque ullo modo abesse possit. Hoc vero loco *alia ex aliis elementis constare* solum potest dici, *inter se alia ex aliis elementis constare* nihil est. Deinde enuntiato primario *quin etiam multa elementa vides multis communia verbis* omnino repugnat secundarium *confiteare necessest alia ex aliis elementis constare.* Verba enim si alia ex aliis elementis constant, siquidem formulam *alia ex aliis* recte perspicio, nulla inter se habent communia elementa. Ut autem praeteream, quam sit mira haec verborum coniunctio in versu 692 *communis littera currat,* haec argumentatio in circulo versatur: multa elementa multis verbis communia sunt, cum verba alia ex aliis constent elementis, non quo non saepe communia sint elementa. In sequentibus versibus cum tradita scriptura, quod valde doleo, ita depravata sit, ut ne interpolatori quidem conveniat, etsi intellegi liceat, qui fuerit sensus eius versus, tamen inde profecti interpolationis signum statuere nolumus. Versus vero qui sequitur (II, 694)

sed quia non volgo paria omnibus omnia constent

vel magis totum hunc locum insiticium esse demonstrat. Cuius sententiam inde certissime cognoscere possumus, unde ab interpolatore sumptus est, ex secundi libri v. 337. Ibi enim poeta probaturus, quam multigenis figuris primordia variata sint, exemplis demonstrat nullam omnino rem alteri plane parem esse (347. 8

quorum unum quidvis generatim sumere perge:
invenies tamen inter se differre figuris.
nec ratione alia proles cognoscere matrem
nec mater posset prolem ....

371 sqq. *postremo quodvis frumentum non tamen omne*
quique suo genere inter se simile esse videbis,
quin intercurrat quaedam distantia formis).

Quare etiam versus 336. 7 nihil possunt significare nisi: *non quo haud multa similia sint, sed quia nulla res alteri prorsus par est.* Videamus, quae sententia efficiatur, si hanc notionem in eum quem tractamus locum transferamus. Dicitur autem: multa elementa multis verbis communia vides, cum versus ac verba necesse sit alia ex aliis elementis constare, non quo paucae litterae communes sint, sed quia nulla omnino res alteri prorsus par est. Nullum igitur verbum, nec ullus versus alteri prorsus par est. At verba eadem forma posita sine dubio inter se paria sunt: versus autem in Lucretii carminibus iteratos inveniri interpolator inter omnes certissime scivit. Denique summa horum versuum (II, 688—99) falsa est:

698 *ut merito ex aliis constare feratur*
humanum genus et fruges arbustaque laeta.

Nam humano generi et frugibus quaedam semina sunt communia, ut dici nequeat, has aliis aliis homines constare.

Ergo hic quoque locus interpolatus est, nisi fallor, ab eodem, qui versus 1013—22 inseruit. Ab eodem interpolatore originem duxisse 718—29 eo mihi fit verisimile, quod ibi eidem illi versus exstant (II, 336. 7)

723 *non quo multa parum simili sint praedita forma,*
sed quia non volgo paria omnibus omnia constent.

Sed antea ipsos hos versus spurios esse demonstrare decet. Atque ab initio illi tres versus (II, 720—22)

nam vel uti tota natura dissimiles sunt
inter se genitae res quaeque, ita quamque necessest
dissimili constare figura principiorum

dissentiunt ab eo, quod Lucretius in versibus 581—687 exposuit, nihil esse, quod ex uno genere principiorum constaret neque quicquam, quod non permixto semine constaret. Quod si probatum erat, id quod versibus 720—2 colligitur, quamque rem dissimili figura principiorum constare, falsum est, quoniam duae res partim quidem ex eisdem principiorum generibus constare possunt. Neque id, quod in priore compa-

rationis parte ponitur, omnes res tota natura dissimiles esse, dilucidum est. Nam eae quidem res, quae eodem genere continentur, sunt certe inter se similes. Deinde qui sequuntur versus (II, 723. 4)

non quo multa parum simili sint praedita forma,
sed quia non volgo paria omnibus omnia constent

quomodo cum prioribus conecti possint, aegre perspicio. Nam si *multa* idem valere atque *multae res* ponimus, habemus repugnantiam gravissimam inter eos versus intercedentem et verba *vel uti tota natura dissimiles sunt inter se genitae res quaeque*. Sin subiecti mutationem statuimus intolerabilem, ita ut ad multa »*principia*« subiciamus, non minus sententiarum consecutio offendit, si coniungimus: quamque rem dissimili figura principiorum constare necesse est, quia nullum principium alteri prorsus par est. Nam si non paria esse possunt principia, at similia tamen possunt idque ipse Lucretius probavit:

II, 524 *inter se simili quae sunt perfecta figura,*
infinita cluere.

Porro versus II, 725—7

semina cum porro distent, differre necessust
intervalla vias conexus pondera plagas
concursus motus

conscripti sunt ex IV, 649. 50 et ex I, 633. 4. Dubium autem potest esse, utrum ad *differre necessust intervalla vias conexus pondera plagas concursus motus* cogitatione subiciendum sit *primordiorum* an *rerum.* Sed sive hoc sive illud statuimus, summae difficultates oriuntur. Ac primum quidem si primordiorum differentias singulis rebus perlustrari arbitremur — idque eo maxime commendatur, quod *conexus pondera plagae concursus motus* ea sunt, *quae debet genitalis habere materies, per quae res quaeque geruntur* (I, 632—4) —, primum mire dictum sit, differre intervalla seminum etc., cum ea distent: nempe cum tota semina differant, singulae seminum partes inter se differunt. Deinde quid eo pronuntiato efficitur, quare particula *porro* inducatur? Gravissimum autem est, quod, quid sint »viae seminum«, omnino non apparet. Via enim potest duas significationes habere: aut idem est atque foramen,

canalis, velut in eo loco, unde hic transcriptus est: IV, 650; deinde *viae oculorum:* IV, 344. 351; *ferri vias:* VI, 983. 996. 1050, aut significat id spatium, quo quid feratur, interdum etiam confectionem eius: *solis lunaeque viarum*, V, 1206. Priorem illam significationem in Lucretii primordia non cadere nemo nescit, quoniam de soliditate eorum multa exposuit poeta. Neque altera significatione vocem *via* positam esse si sumamus, quicquam proficiatur. Nam cum omnia primordia in eodem inani moveantur, si differentiae singulorum enumerantur, id tantum agitur, quousque et qualia motuum genera moveantur. Id autem verbo *motus* in sequenti versu satis expressum est. Praeterea de motibus primordiorum in toto hoc libro nusquam vocabulum *via* usurpatum est. Satis multae igitur sunt causae, cur ad enuntiatum *differre necessust etc.* non genetivum *primordiorum* suppleamus. *Rerum* autem cogitando addere difficile est, quia significatio *res* satis longe ab hoc versu abest. Deinde si *rerum* addimus, *viae* idem valet atque intervalla — nam de motibus rerum nullo modo cogitari potest —; offendit autem, quod, cum plura verba enumerentur, quibus singulis singulae notiones significatae sunt, duo illa nulla particula inter se coniuncta idem valent. Tum vix possit demonstrari, cum semina distent, rerum pondera differre necesse esse. Quid enim causae sit, cur duae res vel ex diversis primordiorum generibus compositae inter se pondere pares esse non possint, si pro seminum differentia magnitudo eorum sit diversa? Nam etiamsi, ut sunt librae, quae manibus nostris fabricatae sunt, vitiosae, vix quisquam ad hilum, ut ratione postulatur, res vel diminuendo vel auctificando prorsus exaequet, tamen natura ac casu duo corpora eodem pondere esse possunt.

Sequitur igitur neque 720—4 neque 725—7 a Lucretio scriptos esse. Itaque cum ne versus 718. 9 quidem soli positi placeant, veri simillimum est omnia inde a 718 spuria esse. Ac simul repetitio versus 726 in quinto libro, ubi post 440 legitur, tollenda est. Facilior autem ibi est argumentatio, cum ad *intervalla vias etc.* »primordiorum« tantum cogitando suppleri possit. Valet igitur idem, quod supra

dixi, iuxta motus primordiorum vias primordiorum dici nequire.

Sed redeundum est ad similitudinem illam inter primordia et verborum elementa propositam. Nam etiam tertio loco eam ab interpolatore insertam esse ostendi potest.

I, 907—14.

(908). 9. 10 = II, (1007). 8. 9

907 *Iamne vides igitur, paulo quod diximus ante,*
permagni referre eadem primordia saepe
cum quibus et quali positura contineantur
et quos inter se dent motus accipiantque,
atque eadem paulo inter se mutata creare
ignes et lignum? quo pacto verba quoque ipsa
inter se paulo mutatis sunt elementis,
cum ligna atque ignes distincta voce notemus.

Ac primum quidem offendit adverbium *saepe* in 908 ac potius falsum est, quod *semper* refert, cum quibus primordia eadem contineantur. Deinde cum similitudo illa inter primordia et elementa in exemplo ignis et ligni adhibeatur, dicitur, eadem primordia paulo inter se mutata creare ignes et lignum. Id Lucretius non scripsit. Nam quamvis contendat multis rebus multa primordia communia esse, tamen certa primordiorum genera (II, 480—521) esse statuit, quae, si non alia ratione at figuris tamen inter se differunt; deinde in aliis rebus alia primordiorum genera numero praevalere demonstrat II, 381—477. Praeterea, ut ipsius verba, unde, quae sit primordiorum in rebus communitas, clarissime appareat, afferam, I, 798—802 ait:

quin potius tali natura praedita quaedam
corpora constituas, ignem si forte crearint,
posse eadem, demptis paucis paucisque tributis,
ordine mutato et motu, facere aeris auras,
sic alias aliis rebus mutarier omnis?

Itaque fieri non potuit, ut ignis primordiis paulo inter se mutatis lignum oriri putaret. Quid? quod caelestem fulminis ignem subtilem magis quam terrestrium taedarum e parvis constare figuris censet, ita ut mutatione tantum ordinis pri-

mordiorum facta ne genera quidem ipsius ignis varia exsistant. Nam cum dictum est eadem primordia paulo inter se mutata creare ignes et lignum, non de novis quibusdam primordiis addendis vel de nonnullis demendis cogitari posse unusquisque concedet. Neque textu vitiose tradito res excusari potest, quoniam in ipsis proximis versibus eadem inest ineptia ubi etiam clarius a re ac veritate discedit:

I, 912 *quo pacto verba quoque ipsa*
inter se paulo mutatis sunt elementis,
cum ligna atque ignes distincta voce notemus.

Ex eodem autem fonte versus

I, 817—9,

qui initio leviter mutato versibus 908. 9. 10 et eorum exemplari II, 1007. 8. 9. pares sunt, fluxisse mihi persuasum est.

Etiam hic offendit adverbium *saepe*. Corruptela vero poetae verborum si statuitur, ad tempora remotissima pertinet, quoniam, si 817—9 Lucretiana sunt, ille interpolator, qui 907—14 inseruit, sine dubio in suo exemplari *saepe* legit. Sed concedendum est potuisse illam corruptelam iam paulo post Lucretii mortem in textum immanare: tamen spero certioribus argumentis probatum iri a me, versus 817—9 ab hoc loco dissentire. Etenim si accurate attenderimus, quid sit *magni refert, quos motus eadem primordia inter se dent accipiantque*, intellegemus certum quendam primordiorum complexum, in quo, si singulorum primordiorum motus mutantur, id aliquid valet. At in versu I, 820

namque eadem caelum mare terras flumina solem
constituunt

pronomen *eadem* non potest referri ad certum quendam complexum primordiorum, quoniam id tantum dictum est, singula primordia caelo mari terris communia esse cum aliis tamen commixta. Deinde hi versus eo loco, unde desumpti sunt, certam quandam notionem habent, qua in primo libro positi esse non possunt: II, 1004—9

inde aliis aliud coniungitur, et fit ut omnes
res ita convertant formas mutentque colores

et capiant sensus et puncto tempore reddant,
ut noscas referre eadem primordia rerum
cum quibus et quali positura contineantur
et quos inter se dent motus accipiantque.

Hoc enim loco pertinent verba *referre eadem primordia rerum cum quibus et quali positura contineantur* ad *ut omnes res convertant formas mutentque colores*, et verba *quos inter se dent motus accipiantque* ad *ut capiant sensus et puncto tempore reddant*[1]. Iis igitur, quos inter se eadem primordia dent accipiantque, motibus continentur sensus. At in versibus I, 820. 1 minime fit discrimen earum rerum, quae sensibus praedita sint, quae non sint praedita. Itaque si hi versus utroque loco a poeta scripti essent, in libro secundo ita repetiti essent, ut multo minus late paterent quam in primo, quod mihi quidem nullo modo accipi posse videtur. Si enim omnino iterationes ab eo factas esse putamus, in eis ubique sensus inesse debet idem.

Quapropter meo iure contendere videor versus 817—9 esse ab interpolatore iteratos. —

Facilius perspicitur eosdem versus in secundo libro male iteratos esse:

II, 760—2.

Etenim de Lucretii sententia ad colores variandos non motuum primordiorum referre, sed formae et ordinis eorum, ex ipsis eius verbis (810—6) elucet. Quod autem Lachmannus eam, quam codices antiquiores praebent, lectionem *praeterea*, ut enuntiata recte inter se cohaererent, cum Italis in *propterea* mutare coactus erat, inde meae de his versibus sententiae

---

[1]) In motibus primordiorum situm est, num complexus eorum sensus i. e. »animalisches Leben« accipiant, idque ita, ut, si motus minus apti sunt, continuo eos amittant. Neque enim, ut Briegerus vult (Philolog. XXV, 89), de perceptionibus animi sermo est: quod si intellegamus, quid sit »sensus reddere«, nullo modo dicatur. Hoc modo simul id, quod in proximis legimus,

II, 1011 *quod in summis fluitare videmus*
rebus et interdum nasci subitoque perire

clarum fit. Nam verba *in summis fluitare rebus* pertinent ad formas et colores, verba *interdum nasci subitoque perire* ad sensus (cfr. 898—901).

haud contemnendum praesidium accedit, quandoquidem interpolatorem tale constructionis vitium fugere potuit. —

Sed ad aliam iterationum seriem accedamus, cuius exemplar ac fons est I, 789—93:

quod facere haud ullo debent primordia pacto.
immutabile enim quiddam superare necessest,
ne res ad nilum redigantur funditus omnes:
nam quodcumque suis mutatum finibus exit,
continuo hoc mors est illius quod fuit ante.

Hoc enim loco Lucretius eorum sententiam, qui ex caelo eiusque ignibus aera imbrem terram creari omniaque ad caelum redire ac perpetuo circulo singula mundi membra sustentari putent, refutat, cum aeterna primordia mutari non posse doceat. Ac recte quidem. Falso illi versus repetiti sunt in versibus

II, 749—56.
(750—54 = I, 789—93; 756 = I, 797)

omnis enim color omnino mutatur et omnis;
quod facere haud ullo debent primordia pacto.
immutabile enim quiddam superare necessest,
ne res ad nilum redigantur funditus omnes:
nam quodcumque suis mutatum finibus exit,
continuo hoc mors est illius quod fuit ante.
proinde colore cave contingas semina rerum,
ne tibi res redeant ad nilum funditus omnes.

Nam totus hic locus a Lucretio scriptus esse nequit. Doleo autem, quod initium eius sana scriptura caret, cum verba *et omnis* explicari non possint. Neque tamen sensus horum versuum obscurus est, quem optime exposuit Briegerus (Philolog. XXV, pg. 69): »Farbenbesitz ist mit Farbenwechsel verbunden und dieser nicht ohne Mitverwandelung der Dinge möglich. Die Atome aber dürfen sich nicht mitverwandeln, weil sonst jede ewige Grundlage fehlte. Folglich (sind die primordia ohne Farbe)«. Duas autem causas habeo, cur haec a Lucretio aliena existimem. Ac primum quidem Lucretium multum afuisse, ut una cum coloris mutatione res mutari crederet, clarissime apparet ex 799—807, cum columbarum et pavonis plumas interdum aliis coloribus videri dicat, non

quo plumae ipsae aliquam mutationem capiant, sed quia recto aut obliquo lumine refulgeant. Altera vero causa in eisdem quos modo laudavi versibus sita est. Nam si iam antea de colorum mutatione dixisset, satis mirum fuisset poetam in versibus proximis, cum eandem rem tangeret, exempla afferre, tamquam si haec res prorsus nova commemoraretur. Hoc eo fit veri dissimilius, quod versus 795—816, nisi fallor, a poeta ante 757—94 scripti sunt. Nam verba (II, 757—9)

praeterea si nulla coloris principiis est
reddita natura et variis sunt praedita formis,
e quibus omne genus gignunt variantque colores

ita tantum intelleguntur, si probatum est, solis variis primordiorum formis colores gigni variarique, quod fit versibus 795—816.

Hic autem est alter ex illis locis, ubi interpolatione facta nonnulla poetae verba ex textu depulsa esse constat. Habemus enim in versu II, 748 mutilatum enuntiatum:

quod quoniam vinco fieri, nunc esse docebo.

Quod cum conficere vellet, Bentleius post 748 transponendum esse versum 743

ex ineunte aevo nullo coniuncta colore

censuit. Sed si sic accusativum cum infinitivo a *docebo* pendentem statuimus, deest is accusativus (sc. »primordia« v. »ea«): qui ex proximis cogitatione addi nequit, quoniam in 746. 7 non de primordiis agitur, sed de eis corporibus,

nos ipsi caecis quaecumque tenebris
tangimus.

Deinde probabo insiticios esse versus

I, 670—74.

Inde a versu I, 645 refutat Lucretius Heraclitum, qui ignem principium omnium rerum esse docuerat. Altera, de qua nunc sola dicendum est, causa a varietate rerum sumpta est: non posse esse tam varias res, si omnes ex eodem puroque igne creatae sint; si enim ignis extenuetur vel densetur, nihil inde profici nisi ut ardor eius augeatur vel diminuatur; sin ignem in rebus creandis stingui mutarique ponatur, ignem plane periturum, et quaecumque iam creentur, e nihilo oritura

esse. Quam sententiam absolutam excipiunt in codicibus illi versus, quos spurios esse contendi:

I, 670 *nam quodcumque suis mutatum finibus exit,*
continuo hoc mors est illius quod fuit ante.
proinde aliquit superare necesse est incolume ollis,
ne tibi res redeant ad nilum funditus omnes
de niloque renata vigescat copia rerum.

670. 1 = 792. 3.
672 cfr. 790.
673 = 797
674 = 757 (*vigescat* pro *vigescere*).

Atque id, quod in versibus 670. 1 pronuntiatur, cum mutetur, rem confici, hic inutile est. Neque enim affirmari opus est, una, cum mutetur, ignem perire, quoniam poeta eodem ore dixit (I, 665. 6)

quod si forte alia credunt ratione potesse
ignis in coetu s t i n g u i *mutareque corpus e. q. s.*

Versus vero 672—4 interpolationis compilationisque notas gerunt ab homine quodam molesto profectae, qui poetae consilium non intellegeret. Is enim cum id agat, ut Heraclitum eiusque sectatores ad absurdum ducat, ostendit nihil omnino igneum superare, si ignis mutatus omnes res formet. Quid igitur sibi vult illud

proinde aliquit superare necesse est incolume ollis?

Animadvertendum autem est, versum 672 et in ea de qua diximus interpolatione versum 755 alterius libri ordiri ex *proinde.* Cum uterque locus interpolatus sit, id casu ac fortuna vix factum est, sed verisimile est unum eundemque hominem utrumque locum interpolasse, qui, cum satis verborum copia premeretur, in eis, quae ipse elaborabat, eadem particula uteretur. —

Restat tertius locus, ubi versus

nam quodcumque suis mutatum finibus exit,
continuo hoc mors est illius quod fuit ante

leguntur:

III, 519. 20.

Cum de mortalitate animae dicat, poeta etiam eam affert causam, quod aegra sanari possit (III, 513—8):

addere enim partis aut ordine traiecere aecumst
aut aliquid prosum de summa detrahere hilum,
commutare animum quicumque adoritur et infit
aut aliam quamvis naturam flectere quaerit.
at neque transferri sibi partis nec tribui vult
immortale quod est quicquam neque defluere hilum.

deinde sequuntur illi versus. At etiamsi, cum sanetur, animae partes tribuantur vel demantur, non ex suis finibus exit. Quare illi versus hic inepti sunt. —

Postremo etiam versum

II, 864 (= I, 797)

cum Goebelio insiticium puto. Nam et sine sensus damno omittitur et enuntiatorum efficit conexum molestissimum: si *volumus* subiungere, ne *tibi* redeant. Hanc offensionem removeri, si in codicibus esset versus

ne res ad nilum redigantur funditus omnes,

cum recte viderit Neumannus, quo tamen iure errorem librarii pro illo versu hunc scribentis facilem dicat, vix intellegas. —

Deinceps aliam plurium versuum repetitorum seriem examinemus. Legimus enim versus

nam bene qui didicere deos securum agere aevom,
si tamen interea mirantur qua ratione
quaeque geri possint, praesertim rebus in illis
quae supera caput aetheriis cernuntur in oris,
rursus in antiquas referuntur religionis,
et dominos acris adsciscunt, omnia posse
quos miseri credunt, ignari quid queat esse,
quid nequeat, finita potestas denique cuique
quanam sit rationi atque alte terminus haerens.

et in quinti (82—90) et in sexti (58—66) libri prooemio; praeterea duo illi extremi versus *quid nequeat e. q. s.* in libro primo bis (76. 7; 595. 6) repetiti sunt.

VI, 58—66.

Ac primum quidem moleste illos novem versus, in qui-

bus de eis, qui rerum caelestium magnitudine perterriti a rectiore de mundo sententia ad antiquas religiones reducuntur, exponitur, in prooemiis duorum se excipientium librorum repetitos esse nemo infitiabitur, omnesque, qui eos utroque loco retinuerunt, a statu carminum a poeta non perpolito culpam repetierunt. Nec tamen quisquam dubitavit, quin ab ipso poeta utroque loco scripti essent, praeter unum Neumannum, cui tamen, quod ipse profitetur, neutro loco interpòlationis indicia indagare contigit. Sunt autem signa, unde perspiciatur eos in sexto libro male se habere. Neque cum Neumanno in eo consentio, fortasse in sexto libro illos versus spurios esse, quia ei, qui praecederent,

quorum operum causas nulla ratione videre
possunt ac fieri divino numine rentur.

interpolati essent. Qua de re quamquam nemo post Bentleium et Lachmannum iam dubitabit, tamen nihil inde proficitur ad eos qui sequuntur versus depellendos. Ac primum quidem concedendum est, grammaticam rationem si spectemus, nullam extrariam offensionem ex illis novem versibus in sexto libro oriri videri. Itaque id tantum quaerendum erit, num sententiarum cohaerentia eis perturbetur. Apparet autem versum 67

quo magis errantes caeca ratione feruntur

idoneo sensu carere, si ad eos pertineat, qui bene didicere deos securum agere aevom. Nam ei qui sciunt deos nullam in mundo regendo operam collocare, sine dubio rectam naturam cognoscendi viam ingressi erant: si ad pristinas religiones reducuntur, errant illi quidem, neque tamen *eo magis* caeca ratione feruntur, quoniam antea caeca ratione non ferebantur. Recte se habent verba *quo magis e. q. s.*, si versibus 50—55 succedunt: mortales, cum pavidis mentibus saepe pendent, caeca ratione feruntur atque ad terram depressi ignorantia causarum coguntur omnia ad deorum regnum concedere: quod cum faciunt, eo magis caeca ratione feruntur.

Deinde quaeramus, quo pronomen *quae* in 68 referendum sit. Nam si 58—66 praecedunt, neque ad *quaeque* (60) neque ad *quae* (61) pertinere potest. Si ad *antiquas religiones* respi-

ceremus, cur *quae* pro *quas* scriptum esset, nullo modo intellegeretur. Contra si ad totum illud enuntiatum

dominos acris adsciscunt, omnia posse
quos miseri credunt,

pertineret, *quod* pro *quae* scribendum erat. Quodsi illos versus secluseris, verba *quae nisi respuis ex animo* facile pertinent ad verba

50 *cetera quae fieri in terris caeloque tuentur*
. . . .
haec faciunt animos humilis.

Dicit igitur poeta, horrificis illis rebus, quae in terris caeloque fiant, neminem moveri debere adeo, ut originem eorum a deis ducat eosque cum rebus coniungat, quae eis indignae alienaeque pacis eorum sint.

Postremo animadvertendum est, quantum inter eas res intersit, quae in quinto et in sexto libro deorum opinionem excitent. In quinto spectat Lucretius ad magnitudinem et ordinem rerum mundi, praesertim earum, quae in caelo versentur, quas etiam ii, qui iam didicerint deos nihil ad res mundi pertinere, mirati facile in antiquas religiones recidant:

V, 76 *praeterea solis cursus lunaeque meatus*
expediam qua vi flectat natura gubernans;
ne forte
81 *aliqua divom volvi ratione putemus.*

Atque verba *praesertim rebus in illis, quae supera caput aetheriis cernuntur in oris* pertinent ad *meatus* solis lunae astrorum omnesque res, quae certo ordine ac regula in caelo fiunt, quarum magnitudine ac vi adducaris, ut unum vel plures deos statuas. In sexto autem libro Lucretium de rebus raris vel singularibus exponere, quarum maxima pars terrore homines afficiant, non modo ex versibus 48—53 intellegitur, quorum caput mutilatum esse aegre ferimus, verum etiam ex 73. 4

sed quia tute tibi placida cum pace quietos (sc. deos)
constitues magnos irarum volvere fluctus,

scilicet si putaveris tonitrua et ventos ab eis proficisci. In quinto igitur libro monet, ne ex sapienti atque ampla institutione mundi colligas deos esse; in sexto docet horribiles res ad

deos referri non posse, quia ira (unde tamen illas res proficisci cogitandum esset, si dei auctores essent), naturae eorum repugnet. Quid igitur? Num putas versus *nam bene qui didicere e. q. s.* ab eodem Lucretio in duobus et multum inter se differentibus locis positos esse? Verba quidem *si tamen interea mirantur qua ratione quaeque geri possint, praesertim rebus in illis quae supera caput aetheriis cernuntur in oris* in sexto libro nullum locum haberent, quippe in quibus formido rerum non contineretur, praeterquam quod verba *rebus in illis quae supera caput aetheriis cernuntur in oris*, si ad *cetera quae fieri in terris caeloque tuentur* referri possent, eas res, quae in caelo fiant, haud probabili modo poeta efferret. Nam id opinari non potuit, fulminibus ac tonitribus homines fortius moveri quam terrae motibus, de quibus postea dicit. —

Sequitur, ut de versibus

quid nequeat, finita potestas denique cuique
quanam sit ratione atque alte terminus haerens

in libro primo bis repetitis (595. 6, 76. 7) dicamus. Praecedunt autem utroque loco verba *quid possit oriri*, non *quid queat esse*, quae in quinto libro praecedunt. Ac primum quidem Purmanni aliorumque sententia, qui repetitionem horum versuum eo excusant, quod eis certa quaedam sententia, quae aliis verbis difficilius exprimi possit, contineatur, minus probatur, quia, si certam notionem repetere voluisset, non dubitandum est quin etiam eisdem ubique verbis poeta usurus fuerit. Itaque mirum esset, si pro *quid queat esse* (in quinto libro) poeta in primo *quid possit oriri* scripsisset. Iam vero quaeremus, num certa interpolationis signa exstent.

I, 595. 6.

Inde a versu I, 592 in codicibus haec leguntur:

nam si primordia rerum
commutari aliqua possent ratione revicta,
incertum quoque iam constet quid possit oriri,
quid nequeat, finita potestas denique cuique
quanam sit ratione atque alte terminus haerens,

nec totiens possent generatim saecla referre
naturam mores victum motusque parentum.

Quam lectionem cum Lachmannus et Bernaysius non respuissent, Munroius utrumque *possent* mutavit in *possint*. Ac mihi quoque temporum mutatio in duabus apodoseos partibus coordinatis a grammatica ratione dissentire videtur. Sed ne in Munroii quidem mutatione quamvis facili acquiesco. Habemus enim argumentationem indirectam, quae nisi imperfecti (vel plusquamperfecti) coniunctivis a Lucretio expressa non est. Quod intelleges, si eas apud Lucretium enuntiationes condicionales contuleris, quae eadem, quam Munroius hic statuit, forma insignes sunt:

I, 809: *nisi nos cibus . . adiuvet, vita quoque omnibus e nervis . . exsoluatur.*

III, 847: *nec, si materiem nostram collegerit aetas post obitum rursumque redegerit ut sita nunc est, atque iterum nobis fuerint data lumina vitae, pertineat quicquam tamen ad nos id quoque factum.*

III, 902: *quod bene si videant, — dissoluant animi magno se angore.*

III, 955: *hic si queratur — non merito inclamet* (sc. natura)?

Ibid. 1071: *quam* (sc. morbi causam) *bene si videat, iam quisque naturam primum studeat cognoscere.*

IV, 507: *vita quoque ipsa concidat extemplo, nisi credere sensibus ausis.*

Ibid. 811: *in rebus quoque apertis noscere possis, si non advertas animum.*

Ibid. 1149: *et tamen implicitus quoque possis effugere infestum, nisi tute tibi obvius obstes.*

Ibid. 1180: *quem si iam . . offenderit aura una modo, causas abeundi quaerat.*

V, 195: *quod si iam rerum ignorem primordia quae sint, hoc tamen ex ipsis caeli rationibus ausim confirmare.*

Ibid. 206: *id natura sua vi sentibus obducat, ni vis humana resistat.*

VI, 568: *quod nisi respirent venti, vis nulla refrenet res.*

Ibid. 653: *quod bene propositum si contueare . ., mirari multa relinquas.*

Nullus horum locorum omnium ex omni parte cum eo de quo agimus conferri potest. Cuius sententiae quae apta est forma, eam praebent in libro quinto versus 134—6: *quid si posset enim? multo prius ipsa animi vis in capite aut umeris aut imis calcibus esse posset, et innasci quavis in parte soleret.*

Iam elucet, ne *constet* (I, 594) in *constaret* mutetur, prohiberi et metro et grammatica constructione. Itaque id solum superesse videtur, ut versus 594. 5. 6 secludamus tamquam interpolatos et particulam *nec* in 597 ab eodem interpolatore ex *non* commutatam esse coniciamus. Nam si quis illos tres versus interpolare studebat, eum *non* in *nec* mutare ausum esse cur non putemus, nulla est causa. Sententiarum autem cohaerentia, si hos versus missos facimus, optima est. Atque clarissime perspicitur, unde haec interpolatio orta sit. Altera enim earum causarum, in quibus sita est illa positio, primordia non posse commutari, haec est: *quid quaeque queant per foedera naturai, quid porro nequeant, sancitum quandoquidem exstat* (I, 586. 7). Visus autem est interpolator, cum illos versus insereret, addere, si primordia commutarentur, illam alteram causam negari; fugit tamen eum pronomen *quaeque* (586) ad *genera* pertinere, verbis vero *finita potestas denique cuique quanam sit ratione* spectari *singulas res*. Atque omnino tenendum est versibus 584—90 unam rem significari, singula genera servare naturam mores victum motusque parentum; tribus tamen partibus haec res describitur: 1. *quoniam generatim reddita finis crescendi rebus constat vitamque tenendi;* 2. *et quid quaeque queant per foedera naturai, quid porro nequeant, sancitum quandoquidem exstat;* 3. *nec commutatur quicquam, quin omnia constent usque adeo, variae volucres ut in ordine cunctae ostendant maculas generalis corpore inesse.* Hoc igitur dicit poeta: quoniam singula rerum genera suis finibus circumscripta eandem semper naturam ad posteros propagant, immutabilem primordiorum summam habere debent; nam s primordia commutationibus subiecta essent, non totiens sin-

gula genera naturam a patribus acceptam servarent, quoniam sequens quaeque aetas eisdem primordiis composita esse non posset. Ab hac ratiocinatione tam concinna illos versus *incertum quoque iam constet e. q. s.* alienos esse apparet. —

Deinde de verbis

quid possit oriri,
quid nequeat, finita potestas denique cuique
quanam sit ratione atque alte terminus haerens

in versibus

I, 75—7

repetitis dicendum est. Quo loco ea interpolata esse vix certis causis demonstrari potest. Quamquam maxime offendit, quod versus 62—74 Lucretius, cum enarret, quis primus arta naturae claustra effringere cupierit, constanter perfecto utitur (67, 69, 70, 72, 73, 74), in versibus 75—7 praesens inducitur *(unde refert nobis).* Nam in 78. 9 praesens alia de causa positum est. Sed cum deesse possint illi versus (I, 75—7), ego quidem non dubito, quin etiam hic interpolati sint.

Pauca addenda sunt de

VI, 56. 7 et VI, 90. 1

quorum operum causas nulla ratione videre
possunt ac fieri divino numine rentur

(= I, 153. 4).

Quae verba priore libri sexti loco delenda esse iam Bentleium intellexisse supra commemoravi: posteriore iuxta 85—9 locum non habere, ut hi aut illi versus secludendi sint, Lachmannus monet. Quapropter, cum 85—9 recte suo loco se habere mihi persuasum sit (cfr. quae p. 78 sq. de repetitione versuum 87—9 in huius libri versibus 383—5 tradita disputabo), 90. 1 spurios esse existimo. Sed uterque locus unde fluxerit, ambiguum est. Nam 56. 7 a lectore philosopho ad 50—5 adscriptos esse nullo argumento refutaveris; 90. 1 vero potuit etiam fieri ut librariorum culpa ex 56. 7 repeterentur. —

Denique in memoriam revoco, quae de versibus

I, 531 et IV, 672

(= I, 429)

pg. 8 et de

II, 998

quapropter merito maternum nomen adeptast (sc. natura)

atque V, 795. 6

linquitur, ut merito maternum nomen adepta
terra sit, e terra quoniam sunt cuncta creata

ex V, 821 sqq.

quare etiam atque etiam maternum nomen adepta
terra tenet merito, quoniam genus ipsa creavit
humanum . . .

repetitis pg. 30 sq. adnotavi. —

Quoniam eos versus absolvimus, quos saepius in Lucretii carminibus repetitos legimus, nunc cum ad eos animum convertam, qui non amplius semel iterati sunt, vix quisquam a me postulabit, ut in eis enumerandis certum ordinem sequar. Neque enim multos locos afferam, qui ex una eademque vel simili causa interpolati videantur: immo in plurimis secludendis plures causae valent.

Initium autem faciam ab eo loco, quem diu haesitavi utrum editori an grammatico darem:

I, 146—8.

Qui versus cum sint repetiti ex postrema parte versuum VI, 35—42, qui etiam in prooemio secundi et tertii libri leguntur, ut nobis visum est, ab editore additi, facile intelleges, quam gratum futurum fuerit hanc quoque iterationem illi tribuere. Quod ne facerem, una causa adductus sum, quam infra proponam. Nunc primum demonstrabo eos versus a Lucretio scriptos non esse.

Verba enim *hunc terrorem non radii solis neque lucida tela diei discutiant necesse est* omnino non habent quo spectent, nisi praecedunt verba *veluti pueri trepidant in tenebris, sic nos in luce* (bei Tageslicht) *timemus etc.*, neque possunt sine illis compositi esse. Quare si Lucretii essent, hic ab eo inserti essent, postquam VI, 35—42 scripti sunt. Quod et per se veri dissimile est, neque Lucretii est sonos tantum profundere nulla sensus ratione habita. Sed facile

demonstratur eos in eum, ubi leguntur, sententiarum conexum non quadrare.

Atque iam Briegerus (Philolog. XXIII, 456 sqq.) et Stuerenburgius perspexerant finem prooemii libri primi non esse sanum, quia verba *hunc igitur terrorem animi e. q. s.* non recte excipiant versus 136—45, in quibus de terrore animi tenebrisque sermo non fiat; sed, quod miror, uterque in 136—45 causam eius mendi esse voluit, quibus versibus seclusis *hunc igitur terrorem animi tenebrasque* ad verba *et quae res nobis vigilantibus obvia mentes terrificet morbo adfectis somnoque sepultis* (132. 3) bene spectarent. Sed omiserunt, eum terrorem, quo afficimur, si aegrorum dormientiumve mentibus simulacra mortuorum obvia fiunt, ne naturae quidem specie ac ratione discuti posse, quoniam in febribus somniisque nobis obrepit invitis nesciisque. Nihil igitur lucramur seclusis versibus 136—45. Sed praeteriit illos etiam res unde elucet versus 146—8 male insertos esse. Habemus enim, si codicum lectionem sequimur, haec:

naturae species ratioque,
principium cuius hinc nobis exordia sumet.

cuius ad *ratio* solum referre debemus, quia *species ratioque* non potest per hendiadyoin accipi, cum a *species* genetivus *naturae* pendeat; id vero, ratio, cuius principium hinc nobis exordia sumet (»die Vernunft, deren Anfang folgenden Ausgangspunkt nehmen soll«) absurdum est. Sublatis autem illis versibus verba

principium cuius hinc nobis exordia sumet

bene referuntur ad *quo carmine demum* (143).

Quae cum ita sint, cum versus 146—8 per se plenum sensum non efficiant et sententiam constructionemque eius loci, ubi leguntur, perturbent, mihi persuasum est eos non a poeta repetitos esse. Ab editore propterea eos non proficisci puto, quod conexum huius loci turbant, neque omnino quicquam in eis versibus, quos poeta reliquerat, desiderabatur. Ac ne de lectore philosopho quidem cogitabimus. Sed repetiit eos versus ille grammaticus, quos in tribus prooemiis exstare vidisset, eos etiam in hoc libro placituros arbitratus: omisit

autem eos, cum quibus artissime coniuncti sunt, quia suo interpolandi consilio minus accommodati erant.

Restat, ut paucis aperiam, quid de toto libri primi prooemio sentiam, ne Briegero et Stuerenburgio parum satis facere videar, qui 136—45 secluserunt, ille quidem, cum eos post 79 bene inseri opinaretur, hic eos seorsim a carminis continuitate scriptos esse ratus. Atque ea causa, qua potissimum commoti secluserunt, quia cum versibus 146—8 non consentirent, cecidit, quoniam hi ipsi secludendi sunt. Sed etiam eo loco, quo nunc exstant, mihi placent: sic enim prooemii conexum fingo ordine codicum servato. Versus inde a primo usque ad 158 dividendi sunt in quattuor partes:

1—43: invocatio Veneris, totius operis fautricis.

Altera pars usque ad 61, ita quidem, ut ante 50 lacunam statuamus: quibus versibus dedicatio continebatur, cuius nunc extrema tantum pars (*quod superest*, 50) servata est[1]).

Tertia pars, quae inde a 62 usque ad 145 pertinet, complectitur quasi prooemium totius carminis.

In 150—8 transitio fit ad eam rem, a qua poeta initium carminis facturus est.

Quod autem Stuerenburgius suspicatus est versus 135—46 seorsim a carminis continuitate scriptos esse, id veri est dissimillimum. Neque enim quicquam exordienti poetae magis obversari debuit quam difficultas rei, quam expositurus esset. —

Adsero eum locum, quem item appareat posterius additum esse eis versibus, post quos in codicibus exhibetur:

II, 163. 4.

Legimus inde a II, 157

at quae sunt solida primordia simplicitate,

. . . .

161 *debent, ni mirum, praecellere mobilitate,*
et multo citius ferri quam lumina solis,

---

1) Vahlenius (Monatsb. d. Berl. Acad. Aug. 1877) mihi non probavit ante *quod superest* nullam lacunam hiare. Conferas, quae in pagina 40 adnotavi.

multiplexque loci spatium transcurrere eodem
tempore quo solis pervolgant fulgura caelum.

Quibuscum si comparaveris, quae in quarto libro inde a versu 204 leguntur:

quid quae sunt igitur iam prima fronte parata?
205 *cum iaciuntur et emissum res nulla moratur,*
195 *quod superest, ubi tam volucri levitate ferantur,*
206 *quone vides citius debere et longius ire*
multiplexque loci spatium transcurrere eodem
tempore quo solis pervolgant lumina caelum?

quoniam priore loco pro *lumina*, quod est in posteriore, *fulgura* nulla alia causa scriptum esse concedes nisi quod paulo ante *lumina solis* exstant, quid dubitas, quin in secundo libro versus

multiplexque loci spatium transcurrere eodem
tempore quo solis pervolgant fulgura caelum,

spurii sint, praesertim cum bene omitti possint, quoniam nihil novi versibus 181. 2 adiungunt? —

Memorabile interpolatoris operae exemplum praebent versus

V, 419—31
(419—22 = I, 1021—(4); 422—6 = V, 187—91;
428 = I, 1026; 429—31 = II, 1061—3.)

Quos male consartos esse nihil clarius indicat quam quod *primordia rerum* in versu 422 prorsus supervacaneum est, cum in enuntiato causali, quod a *sed quia* incipit, idem subiectum *primordia rerum* est atque in enuntiato primario (419 sqq.). Ab initio vero eos hic non fuisse ex particula *tum* in versu 432 cernitur. Quae quo sit referenda, ita tantum intellegitur, si 419—31 secludimus. Nam sine dubio pertinet ad verba *ille coniectus materiai* in 416. Neque enim ad id tempus potest referri, quo semina

convecta repente
magnarum rerum fiunt exordia semper,
terrai maris et caeli generisque animantum,

quippe quo tempore, si non ipsa *solis rota nec magni sidera mundi*, at certe *similis nostris rebus res ulla videri* potuerit.

Quod autem certius interpolationis signum afferri potest quam interpolatis verbis versuum conexum turbari, eis seclusis omnia bene se habere? —

IV, 216—29 (= VI, 923—35).

Versus IV, 218—29 non ab ipso poeta repetitos esse demonstraverunt primi Goebelius et Winckelmannus argumento, quo clarius nullum potest afferri. Nam cum ostendat poeta in versibus 177—215, quam celeri motu simulacra ferantur, quid ad hunc locum pertinet, fluere odores a certis rebus, frigus a fluviis, voces volitare per auras et cetera? quod tum tantum proferendum erat, si cui omnino simulacra fluere ex rebus minus placebat. Et adsensi sunt illis viris Neumannus (pg. 9) et Susemihlius (Philolog. XXIX, 439 sq.), quorum hic Purmanni (annal. philol. 67, pg. 676. Quaest. Cottab. pg. 10 sq.) et Pollii (Philolog. XXVI, 339) cunctationem et conservandi scripturam codicum studium suo iure respuit. Miror tamen versus 216. 7 ab eisdem retentos esse. Qui neque apti sunt, si cum 177—215 coniunguntur, quoniam id solum continent, *esse corpora quae feriant oculos visumque lacessant,* cum in 177—216 iam de celeritate simulacrorum peroratum sit, praeterquam quod id omnino nondum est dictum, primordiis visum moveri, neque sumi potest eos exitum unius ex eis quae sequuntur argumentis effecisse (vel ad quodlibet aliud pertinuisse, quod ex textu abierit), quo exponatur in simulacris causam videndi positam esse, et casu aliquo id male transpositum esse. Neque enim in eis id docetur, simulacris visum moveri, sed esse simulacra. —

I, 548 (= 609).

Versum 609 a Lucretio ipso scriptum esse quivis intelleget. Quae verba quamvis sint simplicissima, de eis breviter dicendum est, cum ab interpolatore, qui ea post 547 repetiit, non recte percepta sint, unde nos eum quidem fructum capimus, ut artem illius cognoscamus. Etenim agitur res, ut videtur, levissima, quomodo verbum *sunt* intellegendum sit. Apparet autem et ex ipsis versibus 607—14 et ex aliis locis, *sunt* certa exsistendi notione positum esse, ita ut Germanice vertendum sit: »es giebt also primordia von fester Einfach-

heit, welche aus den kleinsten Theilen dicht gedrängt gebildet sind« etc. Id enim demonstrare vult poeta inde a 503, *esse ea quae solido atque aeterno corpore constent, semina quae rerum primordiaque esse docemus* (500. 1). Eodemque modo *sunt* intellegendum est in 510: »es giebt also feste und des Leeren baare Körper«. 526: »es giebt also bestimmte Körper, welche« .... et 538. 9: »daher, wenn es feste Grundkörper giebt, wie ich gezeigt habe, dann müssen diese ewig sein«. 545. 6: »es muss primordia von unsterblichem Körper geben, in welche sich alles auflösen kann«. Quae cum ita sint, quoniam dubitari nullo modo potest, quin post 608 versus *sunt igitur solida primordia simplicitate* sic interpretandus sit, id quoque facile perspicies, eum post 547 falso iteratum esse. Eandem enim notionem si huic loco adhibemus, sensum fieri non rectum ex ipsa interpretatione Germanica apparebit: »es giebt also primordia von fester Einfachheit, und auf keine andere Weise können sie . . . schon seit unendlicher Zeit die Gegenstände wiederherstellen«. Potius is, qui hunc versum repetiit, putavit eo significari: »Die primordia sind also gekennzeichnet durch feste Einfachheit«. Deinde absurdum esset, si Lucretius, postquam verbis (545)

esse immortali primordia corpore debent

primordia *esse* dixit, nullo novo argumento allato idem contenderet. Quibus de causis cum constare videatur Lucretium eundem versum non varia notione repetiturum fuisse, eum insiticium puto itemque 549. 50, qui, si ille sublatus est, cum prioribus coniungi nequeant ac paene toti ex verbis Lucretianis consuti sint. Praeterea etsi concedamus versum

sunt igitur solida primordia simplicitate

ita verti posse: »Die primordia sind also von fester Einfachheit«, ita ut ea quae sequuntur bene adiungantur, tamen una est causa, cur eum hic molestum esse existimemus. Nam si sic res se haberet, ex eo, quod immortali corpore primordia sunt, colligeretur ea solida esse. Paulo vero ante poeta inde, quod solida primordia esse debent, collegit ea aeterna esse:

ergo si solida ac sine inani corpora prima
sunt ita uti docui, sint haec aeterna necessest.

Attamen minime esset dignum homine philosopho, primum ex soliditate primordiorum aeternitatem, deinde ex aeternitate soliditatem efficere. —

I, 1079. 80 (= II, 236. 7).

omnis enim locus ac spatium, quod inane vocamus,
per medium, per non medium, concedere debet
aeque ponderibus, motus quacumque feruntur.
nec quisquam locus est, quo corpora cum venerunt,
ponderis amissa vi possint stare in inani:
nec quod inane autem est ulli subsistere debet[1],
quin, sua quod natura petit, concedere pergat.
haud igitur possunt tali ratione teneri
res in concilium medii cuppedine vectae.

Versus 1079. 80 spurii sunt. Nam demonstrandum est nullam inanis partem — per medium per non medium — gravi terrae moli resistere posse: non est demonstrandum, omnino nulli corpori inane resistere. Iam si in versibus 1074—8 recte id notavit, in quo summa eius quaestionis vis versatur, num putabimus duos versus poetam addidisse, qui ab hac ratione prorsus abhorrerent? Deinde verba 1081. 2

haud igitur possunt tali ratione teneri res

ita tantum idoneum sensum praebent, si excipiunt verba

quo corpora cum venerunt,
ponderis amissa vi possint stare in inani. —

I, 919. 20 (= II, 976. 7).

denique iam quaecumque in rebus cernis apertis
si fieri non posse putas, quin materiai
corpora consimili natura praedita fingas,
hac ratione tibi pereunt primordia rerum:
919 *fiet uti risu tremulo concussa cachinnent*
et lacrimis salsis umectent ora genasque.

Quam absurde versus 919. 20 ea, quae in codicibus praecedunt,

[1] in secundo libro hi versus sic incipiunt: *tempore inane potest vacuum subsistere rei.*

sequantur, iam Forbiger, deinde Pollius ac Neumannuss viderunt. Nimirum, quia *risu tremulo concussa cachinnent et lacrimis salsis umectent ora genasque,* non *pereunt* primordia rerum. Gravissimum autem illud est, quod 916—8 ad omnia omnium rerum primordia valent: 919. 20 ad animalium tantum primordia idque hominum. —

V, 1390—96.

Recte mihi videtur Neumannus contendere V, 1392—6 prave ab interpolatore repetitos esse ex II, 29—33 mutatis tantum verborum temporibus. Minime enim hi versus, quibus Lucretius hominum modicis rebus contentorum delicias effingit, quae tamen descriptio ipsum Lucretianae aetatis cultum sapit, in hominum illorum antiquorum, qui limen demum cultioris vitae ingressi sunt, voluptatibus describendis accommodati sunt. Ac probabile mihi videtur etiam vv. 1390. 1 insiticios esse. Offendunt certe, si ad 1401. 2 respexeris. —

VI, 251—4.

Hos versus ex IV, 170—3 falso repetitos esse idem Neumannus recte probavit, cum vox *cum* in versu 255 ad illud *tum* in 250 pertinere intellexisset. Nam si illi versus intercedunt, particula *tum* nullo modo potest intellegi. —

VI, 228. 9.

Transit enim validum fulmen per saepta domorum,
clamor ut ac voces, transit per saxa per aera.

Hos versus, qui magna ex parte ex versibus I, 489. 90

transit enim fulmen caeli per saepta domorum,
clamor ut ac voces, . . .

repetiti sunt, Lachmannus sic in unum contraxit:

transit enim validum fulmen per saxa, per aera.

»Nam neque domorum saepta«, inquit, »tam dura sunt ut ea fulmini non obsistere mirandum sit, neque hoc ea transit ita ut clamor ac voces, sed plerumque laedit et ut modo dictum est accendit et in aedibus dominatur« (224). Quae recte disputata esse nemo negabit. Sed duae sunt causae, cur ego quidem ne cetera quidem verba a poeta scripta esse putem. Inde enim a 219 de fulminis natura expositurus igneam eam esse demonstrat: 1. hoc declarari locis ictu inustis no-

tisque sulphuris graves auras exhalantibus; 2. saepe aedes fulminibus accendi. Deinde demonstrat hunc fulminis ignem subtilem cum primis ignibus esse a natura constitutum; quo verba 236—8 spectant, atque etiam versibus 230 sqq. fulminis effectus solis calori opponuntur: nam voci *puncto* in 230 oppositum est *aetatem* in 236. In verbis vero

transit enim validum fulmen per saxa per aera

de ignea fulminis natura omnino non agitur.

Deinde quid hic illud *validum* sibi vult, cum poeta de subtilitate fulminis dicendum sibi proposuerit, praesertim cum de vi eius inde a 239 demum agat? —

Sequuntur duo loci, qui Lachmanno ad lectoris philosophi operam pertinere videntur, mihi a grammatico potius inserti: IV, 799—801

tanta est mobilitas[1]) *et rerum copia tanta.*
hoc ubi prima perit alioque est altera nata
inde statu, prior hic gestum mutasse videtur.

(771 *quippe, ubi prima perit alioque est altera nata*
inde statu, prior hic gestum mutasse videtur.
scilicet, id fieri celeri ratione putandumst:
tanta est mobilitas et rerum copia tanta.)

V, 1315

terrificas capitum quatientes undique cristas

(II, 632 *terrificas capitum quatientes momine cristas.*)

Nam quoniam pg. 14 vidimus lectorem interpolationibus operam non dedisse, ne has quidem interpolationes ei tribuemus. Interpolandi autem causa eos versus repetitos esse elucet, cum ideo mutati sint, ut altero loco omnibus ex partibus cum proximis convenire viderentur. —

Satis difficile est iudicium de versibus

V, 1327. 8

tela infracta suo tinguentes sanguine saevi
in se fracta suo tinguentes sanguine tela.

1) quod in codicibus inest *tanta mobilitast*, librariorum neglegentia videtur irrepsisse.

Lachmannus, cum 1327 recipere mallet, qui factum sit, ut alter in textum irreperet, non adnotavit. Unum certum est, de dittographia cogitari vix posse, quoniam illa mutatio, qua alter versus insignis est, forte orta esse nequit. Neque id quisquam negabit, si alterum versum Lucretianum, alterum ab alio homine additum esse sumamus, versum 1327 cum Lachmanno praeferendum esse. Quod cum illo Aeneidos versu (X, 731), quem Bentleius attulit,

et calcibus atram
tundit humum expirans infractaque tela cruentat.

tum eo maxime probatur, quod 1328 quidem, ut verba dilucidiora essent, pro 1327 positus esse potest, 1327 pro 1328 non item.• Sed concedo, si quis hic vestigium alterius a poeta ipso factae recensionis exstare statuat secutus Briegeri et Susemihlii rationem, qui in disquisitionibus Philologo insertis eiusmodi vestigia conquirebant, eam sententiam argumentis me impugnare non posse. Ego hanc illorum doctissimorum hominum coniecturam omnino non probo et uno quidem loco (IV, 45 sqq.) errasse Briegerum ostendisse mihi videor. Hoc vero loco veri similius duco, illum grammaticum poetae verba obscuriora ratum carmina emendare studuisse, cum pro *infracta* scriberet *in se fracta*, quo facto, ne metrum claudicaret, ceteras mutationes fecit. —

VI, 383—5 (= VI, 87—9).

Lachmannus, cum in versibus VI, 85—9 contemplandis eos, qui deinceps sequuntur,

quorum operum causas nulla ratione videre
possunt ac fieri divino numine rentur

spectaret, quod alteri nisi alteris exclusis in sententiarum conexu ferri non possunt, Lucretium, cum primo impetu hos quinque versus scripsisset, posteaquam eos prope omnes maiore etiam vi et effectu alio loco poni posse vidisset, hic eis duos alios aeque aptos substituisse ex libro I, 153. 4 repetitos censuit. In qua huius iterationis explicatione ego quidem acquiescere poteram, qui Lucretium fere ab iterationibus abstinuisse quam maxime probandum mihi proposuerim. Neque enim id concedere coactus sim, ipsum Lucretium ver-

sus 90. 1 ex libro primo repetitos substituisse, quippe quibus eo loco minime sit opus. Sed duabus rebus, quas primus Neumannus animadvertit, mihi persuadetur versus illos

unde volans ignis pervenerit aut in utram se
verterit hinc partem, quo pacto per loca saepta
insinuarit, et hinc dominatus ut extulerit se

post 382 falso insertos esse. Legimus enim (VI, 379 sqq.):

hoc est igniferi naturam fulminis ipsam
perspicere et qua vi faciat rem quamque videre,
non Tyrrhena retro volventem carmina frustra
indicia occultae divum perquirere mentis.

In Tyrrhenis autem carminibus id modo scriptum erat, hoc vel illud fulminum genus faustum sit an malo omine, neque vero id, *unde volans ignis pervenerit etc.* Quare versus 383—5 hic non possunt primitus locum habuisse. Praeterea versus 386 non potest una cum 383—5 a *perquirere* (384) pendere. Hi enim ad rationem pertinent, ille ad eam quaestionem, quod omen in singulis ictibus inesse possit. Desideratur autem ea quaestio, *num faustum sit fulmen.* Quibus de causis mihi non dubium est, quin versus 382—5 aut interpolati aut a lectore in margine adscripti, deinde in contextum translati sint, ita ut unum Lucretianum depellerent, qui quem sensum habuerit, bene ex eo, quem Neumannus finxit, versu intellegitur: *quid sibi praedicat fausti vis splendida teli.* Itaque quoniam dubitari nequit, quin 85—9 recte se habeant eo loco, ubi codices eos praebent, sequitur versus 90. 1 falso ex libro primo repetitos esse. —

Eodem fere modo atque is, quem modo tractavimus, locus explicari possunt versus

V, 210—2.

206 *quod superest arvi, tamen id natura sua vi*
sentibus obducat, ni vis humana resistat
vitai causa valido consueta bidenti
ingemere et terram pressis proscindere aratris.
si non fecundas vertentes vomere glebas
terraique solum subigentes cimus ad ortus,
sponte sua nequeant liquidas existere in auras.

210. 1 = I, 211. 2 (ubi *quae nos* pro *si non* legitur). Primum monendum est, in quinto libro quid sit obiecti modo ad *cimus ad ortus* referendum, non intellegi. Homines docti adhuc forsitan *glebas* pro obiecto habuerint. At cum *terrai solum subigentes* eandem vim atque *fecundas vertentes glebas* habeat, pari iure ac potius meliore, cum propius ad verbum enuntiati adiectum sit, *solum* obiecti locum teneret. Neque in apodosi

sponte sua nequeant liquidas existere in auras

subiectum est. Neque enim glebae, de qua voce mente supplenda cogitabis, in liquidas auras exsistunt, sed semina fructuum vel ipsae plantae. Tum totum enuntiatum *si non . . . existere in auras* nullo modo cum prioribus coniunctum est. Unde tamen nihil sequatur quam post 209 intercidisse quaedam, quibus subiectum enuntiati *sponte sua nequeant liquidas existere in auras* itemque obiectum protasis *si non . . . cimus ad ortus* situm erat. Verisimilius mihi videtur interpolatis versibus *si non . . . cimus ad ortus* illa detrusa esse ex contextu, quod damnum maxime dolendum est, quoniam cohaerentia sententiarum plane obscurata est. —

Restat is locus, quem maximas curas mihi excitasse confiteor, neque ad absolutum de eo iudicium perductus sum:

IV, 269—91

[(280.) 1 = (246.) 7].

Tres potissimum difficultates in his versibus occurrunt. Primum *quod genus* in versu 271 male positum est, cum non ad pronuntiatum aliquod generale probandum exemplum afferatur, quod fere fit ea significatione (cfr. II, 194. III, 221. 266. 276. 327. 431. 597. V, 478. 608. 663. VI, 1058). Deinde in versu 275 *cernitur aer* ab ea ratione, qua videndo quid percipi Lucretius existimat, alienum est: neque enim cernimus aera, sed sentimus per oculos transeuntem, unde cognoscimus, quantum res a nobis distent. Rursus vero *perterget* in 277 et ad aera et ad eas res, quae cernuntur, pertinet, cum Lucretius 249 eum certe modum hac notione cum maxime describere velit, qua aer transit. Et in 282. 3 idem *sentimus* de rei et aeris perceptione usurpatum est. Denique, quamvis

illud *vere* in versu 271 bene dictum sit, ubi verbo *imago* in 269 oppositum est, in iteratione eorum verborum *illa foris quae vere transspiciuntur* (v. 278) molestum est. Tales vero iterationes, quarum pars a loci, quo iteratae sunt, sententia dissentiunt, in Lucretii carminibus non inveniuntur.

Quibus de causis cum persuasum mihi sit hos versus interpolatione deformatos esse, gaudeo, quod una res huic suspicioni succurrere videtur. Versus enim

illis quae reddunt speculorum ex aequore visum

post 289, ubi in codicibus est, ferri non potest, ut interpolatione suo loco, quem nos indagemus necesse non est, expulsus esse videatur.

Epilogus.

Aptum videtur eos locos enumerare, qui num ab ipso Lucretio iterati sint, non habemus cur dubitemus.

I, 188 = II, 707.

quorum nil fieri manifestum est, omnia quando paulatim crescunt, ...	*quorum nil fieri manifestum est, omnia quando seminibus certis . . . .*

IV, 44 = V, 882.

id licet hinc quamvis hebeti cognoscere corde.

IV, 165 = IV, 725.

multa modis multis in cunctas undique partis.

IV, 180—2 = IV, 909—11.

nunc age, quam celeri motu simulacra ferantur,	*nunc, quibus ille modis somnus per membra quietem*
. . . .	*inriget atque animi curas e pectore solvat,*
suavidicis potius quam multis versibus edam;	*suavidicis potius quam multis versibus edam;*
parvus ut est cycni melior canor, ille gruum quam	*parvus ut est cycni melior canor, ille gruum quam*
clamor in aetheriis dispersus nubibus austri.	*clamor in aetheriis dispersus nubibus austri.*

III, 371 = V, 622.

Democriti quod sancta viri sententia ponit.

I, 738. 9 = V, 111. 2.

quamquam multa bene ac divinitus invenientes	
ex adyto tam quam cordis responsa dedere	*qua prius adgrediar quam de re fundere fata*
sanctius et multo certa ratione magis quam	*sanctius et multo certa ratione magis quam*
Pythia quae tripodi a Phoebi lauroque profatur,	*Pythia quae tripode a Phoebi lauroque profatur,*

II, 12 sq.	III, 62 sq.
certare ingenio, contendere nobilitate,	*et inter dum socios scelerum atque ministros*
noctes atque dies niti praestante labore	*noctes atque dies niti praestante labore*
ad summas emergere opes rerumque potiri.	*ad summas emergere opes, haec vulnera vitae*

I, 1004 = V, 1216.

V, 379 = V, 1217.

I, 1004 / V, 379	V, 1216 / V, 1217
I, 1003 *quod neque clara suo percurrere fulmina cursu*	*quo ad moenia mundi*
perpetuo possint aevi labentia tractu,	*solliciti motus hunc possint ferre laborem,*
V, 377 *neque enim, mortali corpore quae sunt,*	*an divinitus aeterna donata salute*
ex infinito iam tempore adhuc potuissent	*perpetuo possint aevi labentia tractu*
inmensi validas aevi contemnere vires.	*inmensi validas aevi contemnere viris.*

IV, 585	V, 1385.
chordarumque sonos fieri, dulcisque querellas,	*inde minutatim dulcis didicere querellas,*
tibia quas fundit digitis pulsata canentum,	*tibia quas fundit digitis pulsata canentum,*

III, 325	V, 554.
nam communibus inter se radicibus haerent,	*nam communibus inter se radicibus haerent*
nec sine pernicie divelli posse videntur.	*ex ineunte aevo coniuncta atque uniter apta.*

Index

omnium locorum tractatorum.

Typis expresserunt Breitkopf et Härtel Lipsienses.